

X.

00

Handwritten scribble

№ 4628 *

68



- 1 Moeßel de sono
- 2 Gerhart de admirandis soni.
- 3 Boecler de sono
- 4 Hardt dubium physicum de sono.
- 5 Kirchmajer de viribus toni consoni.
- 6 Schmid surdus de sono judicans
- 7 Muller de taba Pentorea (Grauf-Rofr)
- 8 Hase de _____
- 9 Weidling de odore
- 10 Werner de saporibus
- 11 Helwig de calido et frigido
- 12 Hoffmann de calore luce et flamma
- 13 Hardt dubium physicum circa calorem ignis.
- 14 Mirus an et quomodo sol calefaciat.
- 15 Richter de sole, quod non sit causa caloris.
- 16 Gemisch de sole hyeme propiore, minus calefaciente
- 17 Bernard de causis caloris aestivi.
- 18 Hamberger de frigore
- 19 Hannemann de frigore hyemis 1709
- 20 Winter de glacie artificiali.
- 21 Pistorii Ornithogamelion.
- 22 Tafel de primo avium ortu.
- 23 Grünham de avibus paradisiacis.

- 24 Zingox or de aquila rege avium.
 25 fronsimom de anser Martimano.
 26 Pratorius non de Storiff. Winter Anstis
 27 fronsimom de arboreo anser, ave Britannica
 28 Thomasius (Jac) non de Storiff. Winter Anstis
 29 Ortlöb de prasagus locustarum
 30 Paulini de locustis insolitatis
 31 Holl onfangt _____
 32 Gobenstritt _____
 33 Cellius _____
 34 Gobenstritt de remediis adversus locustas.
 35 Maller de melle
 36 Lyser de cetis
 37 Treuner de phenomenis. locustarum.
 38 Hartmann de phoca s. vitulo marino.
 39 Phoca anatome
 40 Observations sur un grand poisson disequé
 41 Observations sur un lion disequé.
 42 Tycho monoceros piscis
 43 Hartmann de gladio
 44 Hannemann de pisce torpedine
 45 _____ de ostreis Holstatis
 46 Möimichen de generatione et vita

ASPIRANTE NUMINE
EXERCITATIO PHÏSICA
FRIDERICIANA
SÆVITIAM SATURNI
elapsæ hyemis sistens,

i. e. DE

FRIGORE,

QUAM
SUB PRÆSIDIO

JOH. LUDOVICI HANNEMANN,
Med. Doct. & Philos. Nat. Profess. Ordin

Leopold. Societatis Collegæ, Nestoris II.

d. IX. Novembris MDCCCIX.

in Auditorio majori

publice defendet

JOHANNES MICHAEL ECCARDUS,

Svinfurto-Francus, J. U. Stud. atque Pract.

&

Not. Cas. Publ.

K I L I Æ,

Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.





PATRONI AC FAUTORES COLENDISSIMI!



UM AMPLISSIMUS EXERCITATIONIS HUIUS
PHYSICÆ PRÆSES, salutis & Studioforum &
meæ cupidissimus falcem haud pridem in suâ me
mississe messem, subque HONORATISSIMO
EJUS COLLEGA, CELEBERRIMO NOSTRO
WALDSCHMIDIO publicam disputationem pro
parvo meo modulo defendisse, animadvertit
set, ut sub suo quoque præsidio specimen ali
quod publicum darem, præsentemque de FRIGORE dissertationem
in me suscipere defendendam, hocque ipso aliis per breve tem
pus vacans animum affectumque in philosophiam, forem scili
cet, quin matrem jurisprudentiæ declararem meum, simulque, ne
quaquam ex eorum, qui ea prorsus neglecta id tantum, quod de
pane sit lucrando quærant, verum, qui accuratori perscrutatio
nis acie eandem inspiciant pertractentque, numero me esse, re ipsa
demonstrarem, benevolus mihi extitit Svasor. Eximius itaque iste
honor, affectus in me propensus, consiliumque salubre tanto
minus à me sane erant repudianda, quanto major EJUSDEM cum ob
alia in Rempublicam literariam præclara merita, tum impri
mis ea, quæ toto die in Academia Nostra ad meritum Auditorum
stuporem & applausum ex tempore præstat, auctoritas est & ex
istimatio, denegatio autem istius, quod debiti tamen est ac offi
cij, irreverentiæ morositatisque haud mediocris nota foret
argumentumque, & quanto denique magis ipsa dissertationis ma
teria curiosa, elaboratio thesesque vero velitationis ac exer
citationis acrioris ansa promtior nec tepidum forsân sint inci
tamentum. Cum autem omni pene tempore id, ut, quoties
) (2
scriptum

scriptum aliquod evulgaretur, præclaro alicui doctrinæ virtutis-
que fama eminenti Viro consecraretur, observatum sit, hæcque
tanquam in compendio in **VOBIS PATRONI AC FAUTORES**
OPTIMI! abundanter conspiciantur, nec foris etiam conquirendus,
aut sollicitè longius sit petendus, domi quasi qui occurrat, affinita-
tisque jure debitam sibi reverentiam vindicet, **VOS CONATUUM**
MÆORUM SUFFULTORES HAUD INVALIDOS submissè com-
pelland, solemnique hoc observantiæ in Vos meo argumento dedi-
tum Vobis animum affectumque declarandi justissimas mecum re-
putans merito amplexus sum causas. Accipite itaque hanc defen-
sioni meæ quali quali destinatam ac commissam, honestæque
exercitationis causa susceptam a me dissertationem tanta benevo-
lentiæ, quanto animi affectu observantiæque cultu Nominibus
Vestris eandem consecravi. Quod si feceritis, serenoque, ut spero
vultu, propitio veluti sidere quodam eam aspexeritis ac exceperitis,
quod impense mihi porro gratuler, quam maxime profecto erit.
Pergat interea, quod superest, **SUPREMLIM PRÆPOTENS**que in
ALTIS NUMEN, cui pro Vestra incolumitate, quacum publica pri-
vataque salus est conjuncta, supplicare nunquam desinam, gravissi-
mis Vestris annuere negotiis atque laboribus, celeberrimorum No-
minum Vestrorum gloriam servare atque tueri, roburque addat ac
vires muniis istis, quæ pro Patriæ communique bono cum laude
geritis sustinetisque, sustenturas. **VOS AUTEM ORNAMEN-**
TA PATRIÆ, DECORA REIP. AC PRÆSIDIA BONORUM
CUM FAMILIIS SUAVISSIMIS quam optime ac felicissimè vi-
vere, mihi que favere pergatis, est, quod enixe opto atque con-
tendo,

AMPLISS. NOMINUM VIRTUTUMQUE; VV.

*Scribendam Kilias VII. Idus Novembr.
1700.*

Cultor devotus,
RESPONDENS.

NOBILISSIMO & CLARISSIMO
DOMINO RESPONDENTI,

J. U. Candidato atque Practico & Notario Cæsareo Publico dignissimo,

Amico suo honoratissimo

PRÆSES

S. P. D.

Quod omnibus hominibus DIC CUR HIC dictum sit, eosque admoneat, suarum actionum rationem in-
cant, Nobis persuasissimum est. Ad hæc triaver-
ba quilibet, cujuscunque etiam functionis nexæ
DEO & Magistratui sit obligatus, respiciet, cur
hic sit, cur hic vivat, cur huic functioni sit præfectus. Om-
nem cum primis Christianum in gremio cœtus divini viventem
etiam hoc monitum sui officii admonebit, quomodo erga DE-
UM, erga Magistratum, erga proximum, erga semet quo-
que ipsum se gerere conveniat, ita ut in omnibus suis actionibus
negotiiq; conscientie tranquillitas, qua nil præstantius in hac
vita, nunquam non mentem exhilaret, rationemque reddere
sciat, cur hic fuerit, quid hic egerit.

TU NOBILISSIME DN. ECCARDE! Ecclesie nostræ Membrum
es, Academie nostræ Civis ex morigeris nulli omnino secundus.
Quid itaq; doctrinæ Christianæ norma justæ & bonestæ a Te exi-
gat, probe hæcenus observasti, Statutisque non sine laude con-
formem vitam egisti. Probantq; tot publica specimina, quæ &
opponendo & respondendo non sine PATRUM ACADE-
MIÆ CONSCRIPTORUM applausu edidisti.

Quam coeptam viam ulterius currere ac latis passibus
ad ædem honoris grassari, arduoque molimine noctesque dies-
que conaris, sic, ut plene mensuram per digni Academici Ci-
vis

vis adimplere allabores. Hos tuos conatus laudabiliaque specimina **AMPLISSIMA FACULTAS JURIDICA** juxta tua merita expendens (ut ad majora laude dignissima ac Reipublice utilia ausa Te excitet, stimulumque Tibi addat) die XXII. Aug. a. c. publico honorificentissimo Te donavit Testimonio, quo Advocatum verum agas, omnino per dignum Te declarat, omniaque à te optime huc usque gesta comprobat, confirmat. Tantis tamque præclaris elogiis ac expressionibus scetet id Testimonium, quibus in isto te ornavit, ut omnino felix sit æstimandus, cui **AMPLISSIMA FACULTAS JURIDICA** se ita Patronum publice declarat.

Tuum jam est, ad dic cur hic respicere, strenuissimeque porro navare operam, hoc Testimonium tanta reverentia, ut hætenus gloriose fecisti, colas, nunquam illud tua culpa mendacii argui queat, sed magis magisque a Te, virtutibusque plenis actionibus tuis confirmetur, ac plus ultra tibi maxime cordi curæque sit, tendas.

Publicam etiam Personam, Notarium nempe Cæsareum Publicum in Reipublica teatro te sistis, quo honore **ACADEMIA NOSTRA IMPERIALI AUCTORITATE** a. diem IV. Non. Aug. Anni præterlapsi te cobonestavit, meritoque Sigillum cum vitæ tuæ statui apprime adequatis Symbolo: **JEHOVA MECUM EST, NIL CURO PRAVOS, & Emblemate: arbore quercu, tempestatibus omnis generis ad-versis coagitata, durationis verò constantiæve singulari prærogativa gaudente &c. cum circumscriptione: SÆVIUNT FRUSTRA, quod scilicet homines pravi, licet etiam inanis instar præsteris, frustra tamen in bonos probosve sæviant, hique, Jehovaham Ducem Comitemque si habeant, Eoque stipati sua moliantur, rerumque suarum diligentiori studio satagant, illos merito rideant, Tibi concessit.**

Fo

Et nunc honoris pervenisti ac declaratus es, cau-
arum Patronum Te prestes, Advocatum in iudiciis Te sistas,
injuriam pressos salubri tuo consilio, ut iustitiam Mystam jure Te
salutare queant, erigas. Ad Te, tanquam ad Asylum confugi-
ent, tuumque consilium ut oraculum adorabunt, quo miseris sub-
venias, opemve presentem feras, conditionem requisitam boni
Advocati adimpleas, honori DEI iustitiaeve promotioni magis,
quam nummis, avaritiae typho inflatus dabis operam, ac nu-
quam non memor eris illius Novellae XLVI. cap. I. fin: DEUS re-
spiciet, quae geruntur ab omnibus, & si quid egerint per do-
lum aut lucrum aut machinationem, hoc in suis recipient a-
nimabus, viventes & morientes. Quod aureum monitum, si
quis inscribat memoriae, inque vitae suae praxi sollicitè observet,
ille dicat cur hic quoque rectè tractavit, sibi que bene & in hac, sibi que
bene & in futura vita erit, neque temere sua conamina, mo-
limina ausaque cereis scari alis munit, quas examen ad hanc
sententiam diffluere facit, & ne in Acherronta aeterna cum ge-
mitu corruat, efficit. Praeterea talis Te muneris functioni man-
cipasti, divinae scilicet jurisprudentiae, cujus Leges neminem in
miseria vivere, neque in anxietate mori permittunt.
DEO ergo, cujus magna fiducia constantissime hactenus non
sine fructus fretus, porro confidens, hanc spartam ea dex-
teritate, qua decet, ornes, adhibebis diligentiam.

Quanta autem studii cupiditate flagres, dignumque A-
cademiae Membrum audias, tua hactenus industria abundan-
ter probavit. Hujus studii amore incensus sub meo quoque praes-
idio presentem disputationem de FRIGORE defendendam
in Te suscipis, quo exercitio novum tuae merito depraedi-
candae industriae specimen das. Maxime laudo, laudantque me-
cum alii me Majores laudabile prudensque tuum Decretum,
quod Academiae nostrae nondum in totum sis valedicturus, sed
potius

potius Theoreticum & Practicum p. t. simul acturus, viri-
busque ita conjunctis honoris fortunæque arcem quasi de-
bellaturus, utrumque tam faventem familiaremque, nun-
quam non Voto tuo arrideant, tibi babeas, quare PATRES
ACADEMIÆ CONSCRIPTI plura id genus specimina de
tua Sibi industria pollicentur, prout etiam benevolum tuum
in me affectum, petitisq; meis de ulteriori quoq; alterius meæ
hanc proximè insecuturæ, subque meo itidem presidio cum
DEO habenda de PHOENICE NATURÆ publicæ disser-
tationis, solidiori & perdocta tua defensione, qua eam non es
dedignaturus, sed potius in majores Tui meritorumque tuo-
rum mihi tunc excurrendi laudes exoptatissimam suppeditatu-
rus ansam, datam tam promtè fidem merito mihi gratulor, nec
tantum, Nobilissimis Commilitonibus studendi vivendique
tuo genere probatum ac laudabile Exemplum porro præbe-
as, adque similia tua laude dignissima conamina, præser-
tim cum tali vivant loco, quo omnino meritorum Studioso-
rum diligentia ratio habetur, nonque, nisi præclaros exi-
miosque in studiis habentes progressus ad munia promove-
antur, adhorteris, sed & ceterum omni felicitate tam in
hisce terris abundes, quam in cælesti patria beatis annume-
reris, cum omnibus AMPLISSIMIS ACADEMIÆ PA-
TRIBUS, Aliisque Bonis Probisque (qui Bonorum Æstima-
tores audiunt) animitus opto, Vale!

T. T.

Kilia VII. Novembr.

CIS MCCCIX.

NESTOR II.

GENEROZO, NOBILISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMISQUE
VIRIS DNN.

DN. GVSTAVO CRANIO,
Regii Fiscii Ducatum Schleswicensis
& Holfatici, qui Gluectadii est,
PATRONO ac ADVOCATO PRIMARIO,

Et

DN. DAVIDI *Frauen*

Senatori ac Secretario
inclutæ Civitatis Crempensis,

DIGNISSIMIS, GRAVISSIMIS,

Genero ac Socero sibi invicem conjunctissimis,

Affinibus autem, Patronis & Fautoribus
meis, eo, quo par est, honoris atque
observantiæ cultu nunquam non
prosequendis

FELICITATEM!



F **THESIS. I.**
Rigus est Spiritus architectonicus, tampe-
netrantissima vi gaudens, ut nil sit ipsi
inivium & impenetrabile.

Exegesis.

§. 1. *Non moramur, quomodo alii definiant frigus, Frigus spi-*
multo minus respicimus aut rationem habemus frigo- *ritus est.*
ris definitionis, quam cudunt Peripatetici in incude
servitutis Aristotelicæ scilicet, *quando ipsi affingunt ge-*
nus, quod sit qualitas, vel purum putum accidens, id
genus accidentia, ad quorum classem referunt frigus,
ignorat philosophia, quæ jam pro cathedris trium-
phat. *Frigus est spiritus & sic substantia in suo fon-*
te, de quo suo loco, & per universum dispersa existens.
Spiritus dicitur, non quidem sensu Metaphysico, sic so-
lus Deus increatus, Angeli spiritus creati, anima ho-
minum spiritus creatus, sed vocabulum Spiritus sumi-
tus sensu Medico, prout spiritus vitales in homine
sumuntur, scilicet pro *fluidissima substantia, nullo li-*
mitum fato terminorumque coercita (2) *sumiturphy-*
sice, prout spiritus vini dicitur spiritus, hocque sensu
frigus est spiritus, quod autem etiam *substantia* sit, &
existat in actu *formali & differentiali*, sequentibus
rationibus evincemus, quippe (1) *dicitur Gen. VIII.*
v. ult. quod sementis & messis, frigus & æstus, hy-
ems & æstas, nox & dies non requiescent. Ex hoc di-

A

to

Et Biblico concludimus, quod illud ipsum, cui Deus existentiam perpetuam tribuit, quod & hoc ipsum *substantia* sit (2) *frigus esse substantiam* evincit ejus vis substantifica, qua agit, qua afficit, qua alterat, qua prorsus in statum diversum calori è diametro contrarium totam rerum sublunarium oeconomiam transmutat, ut hoc claret (a) *ex aeris*, ex aquæ & denique ex terræ habitu (b) *tota* animalium familia corporum suorum mutationem ostendit & demonstrat juxta omnes partes, quæ corpus absolvunt (c) *universa* vegetabilium classis luculentum dat testimonium per vim frigoris aliquid illorum substantiæ esse communicatum, quod substantiam redolet (d) *in mineralium* & fossilium regno etiam efficaciam frigoris substantificam ob oculos ponit, verum quid multis? omnes effectus frigoris, de quibus *peculiari thesi* acturi sumus, substantialitatem frigoris astruunt. Quodsi denique consideremus omnia illa phœnomena, quæ longa serie *Excellentissimus Hamberger in sua disp. elegantissima de frigore*, ac *Præcellentissimus Hottingerus in sua perdocta descriptione montium glacialium recensent*, non nisi substantiam esse frigus, ultro patet claretque.

Spiritus architectonicus.

§. 2. *Dicitur spiritus* architectonicus, quo vocabulo & prædicato, quod frigori tribuimus indicare volumus, frigori adscribendam esse vim *architectonicâ*, quippe evidens est, quod omnia corpora naturalia vel sint fluida, vel facidiora, vel fluidissima, & quod quædã ex statu fluiditatis transeant in statû soliditatis, è statu subtiliori in statum spissum, è statu spirituofo in statum

statum corporietatis, omnis autem corporietas, qua corpus est solidum & spissum, accepta referenda est diversitati graduum frigoris in materiam fluidam influenti.

§. 3. *Frigori ut spiritui penetrantissimam tribuimus vim, adeo, ut nullum corpus sit tam firmi contextus, vel tam arctè compactum, quin frigus penetret, sit vel ex marmore, vel ex alabastro, liquorem in eo contentum aqueum facillime vi sua ingrediatur ac in glaciem convertet.* Quam penetrantissimam vim frigus habeat, docuit nos frigus, quod præterita hyeme experti sumus, illud etenim crassissimos parietes instar fulminis penetravit, ac omnis generis liquores, *excepto spiritu vini rectificato*, exceptoque spiritu vitrioli, & id genus spiritibus in glaciem convertit, homines satis contra frigoris inclementiam & injuriam corpus suum munire non potuerunt, & quod mirandum est, anates sylvestres, quorum corpora plumarum luxuria munita ac in frigida aqua viverè assueti, frigoris vi extincti sunt. Veritatem hujus asserti sublequens dissertationis contextus comprobabit.

THESIS II.

Frigus non est privatio vel ens privativum.

Exegetis.

§ 1. *Excellentissimi quidam Philosophi, inter quos Humberger inclutæ famæ Philosophus nomen suum proficitur, frigus privationem esse statuunt. Ast illa privatio necessario respicit privationem caloris, quod calor tunc, qui antea aderat, in isto pondere, nu-*

A 2

mera

mero & mensura jam absit, ejusque sit absentia vel privatio, in illo autem mundi statu calore orbato regnabit tamen & dominabitur *aliquid agens* vel *patiens*, vel potius utrumque simul adesse videmus, si quidem frigus tales exerit vires, quæ citra actionem & communicationem alicujus vis influentis non possunt esse. Datur & patiens recipiensque illam vim, ut hoc per omnia phœnomena frigoris constat, non itaque *frigus mera privatio est*. Cæterum tam reales, tam essentielles tamque substantias mutantem inque diversum oppositumque statum transmutantes operationes non animadvertuntur, ut in frigore brumali observantur. In subsidium hujus asserti advocamus scripturam sacram, sicque *Pf. CXLVII. 16. qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit, v. 17. mittit crystallum (glaciem suam) suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? v. 18. Emittit verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus Ejus & fluent aquæ, Pf. CXLVIII. 8. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum Ejus; Quodsi hæc & similia meteora, ad quæ pertinet frigus, jussa Dei exsequantur, in conservando mundo vel & puniendo humano genere sterilitatem causando vel morbos adducendo, necesse est realia sint entia, sintque substantiæ. *Accidentium nulla est efficacia, nisi in tantum, in quantum à substantia dependent.* Et cum expresse Spiritus S. dicat, *Deum mittere glaciem suam*, frigus esse tantæ vehementiæ, ut ante faciem ejus nemo subsistere queat, quæ omnia prædicata quique modus generationis frigoris positivam*

tivam substantialitatem infert, proin magni isti Viri, qui pro privatione pugnant, aliquid humani patiuntur, quippe necesse esset, si mundus privetur calore, quod & tunc simul privaretur omni agente, quod & simul privaretur omni recipiente, quod vim aliquam pati posset, sed quàm hoc erroneum sit, supra edictæ rationes demonstrant, imo frustra tribueretur Deo alicujus efficacix, alicujus virtutis emissio, vel immissio in mundum, si frigus esset privatio. *Privationis nulla est efficacia. Privatio & vacuum nullam virtutem realem essentialem corporum oeconomiam mutantem vel alterantem possident*, aliquid reale inferendo & statum corporis in oppositum transmutando. Scaliger aliquando ad Cardanum dixit, qui quoque frigus pro privatione habuit: ut nudo corpore exciperet frigus, & esse ens positivum experiretur. Quod si quis in hoc Scaligero obediret, subitanam in corpore suo talem metamorphosin animadverteret, ita ut aliquid ens reale in ipsum agere, revera sentiret. Quæri etiam posset, quod, si frigus privatio sit caloris, anne ergo præter calorem nullum agens a Deo sit creatum? Frigus, quod fuit ante existentiam solis, idem, & nunc est, tunc autem fuit ens positivum, ergo & nunc est ens positivum.

THESIS. III.

Causa prima efficiens Frigoris est Deus.

Excepsis.

§. I. *Thesin hanc complura scripturæ dicta confirmant, quorum long ore censu super sedemus. Solum memorabile est, quod odlegitur Job. XXXVII. 20. Flante* *Causa efficiens.*

A 3

Deo

Deo concrefcit gelu à flatu, vel à spiraculo Dei. Flatus hic accipitur (1) pro voluntate, pro voluntate Deus dat gelu (2) pro vento, quem Deus mittit, unde glacies gignitur. Schmidius sic verit: à Spiritu Dei dat gelu & latitudinem aquarum in constrictum (scilicet) latitudinem aquarum coarctat. Ventus, qui hic intelligitur, venit à plaga Septentrionali, certum item est, nullum frigus esse intensus, & intolerabilius, quam quod ab aquilone venit, hinc & Lucas Oslander Deo excitante ventum aquilonarem concrefcit aqua gelu, per spiraculum Dei ut dictum, voluntas intelligitur, comparatur hæc voluntas cum spiraculo. Spiraculum facile emittitur ex ore animalis, tam facile ipsi Deo est, ut ventum excitet aquilonarem, constringentem aquam gelu, ut tanquam fufum speculum appareat. Præclare loquitur Sebastianus Schmidius hoc loco: Ejusmodi sive fusa, sive constricta sit latitudo a quæ, non quasi aqua lata reddatur angustior, sed quod tota latitudo aquæ seu aqua etiam latissima concrefcet, ut maria quoque lata, quasi dicat Septentrio a Spiritu Dei, tanquam causa prima tantam inspirando habet virtutem, ut etiam latissimas aquas imo & maria constringat instar metallorum fusorum, & in hoc quoque mirabile Dei opus cernitur, quod aquam liquidissimam copiosissimamque tam fortiter, nec minus eleganter instar speculi fusi, instar crystalli pellucidi constringere potest, imo in gemmæ spendori æmulum splendorem duritiemque convertit.

THE.

THESIS. IV.

*Luna est fons frigoris.**Exegetis.*

§. 1. *Quemadmodum placuit Deo T. Opt. Max. in-* *Fons Fri-*
gentem vim caloris concentrare in discum solis, ita, *goris,*
 ut hoc jubar dicatur oceanus ignis inexhaustus, qui
 omnem vim igneam cum sublunaribus communi-
 cat, adeo, ut nullus sit ignis, qui non sit soboles solis,
 eodem modo placuit Summo Numini, ingentem
 vim frigoris includere globo lunæ, quod sydus frigus
 in hoc sublunare systema juxta temporis rationem
 magis, & minus, prout *fatum generationis & cor-*
ruptionis exigit, evibrat. Quod autem luna fons tri-
 goris sit, sequentes evincunt rationes (1) *ſe per con-*
cavum speculum radii lunares in centrum colligantur,
 vimvalde refrigerantem exserunt, & torpidos reddunt
 spiritus (2) *radii lunares capite nudo excepti inge-*
 nium admodum debilitant, memoriam minuunt,
 morbum comitialem vel epilepsiam inducere que-
 unt, ac hominem omni agilitate privant, roboreque
 exuunt, hæcque symptomata effectus sunt frigoris è
 luna effluentis.

§. 2. *Rationibus jam in medium allatis pondus acce-*
dit ex Psalm. CXX. per diem Sol non uret te, neque lu-
na per noctem, quod Scripturæ dictum tribuit hisce
 duobus syderibus magnis vim urendi, ficque Sol de
 diē suis radiis urit vel & calefacit, & *inſtar multo-*
rum elibanorum eructat calorem qui circa vesperam
 occidit, tunc oritur luna, cui dominium in noctem,
 ut soli regimen in diem concessum, huicque syderi
 etiam

etiam urendi vim tribuit Scriptura, cum autem noctis tempore non calor animadvertatur, & tamen vis urendi lunæ adscribatur, oportet ergo aliquid adfit, quod urat, & hoc ipsum nihil aliud est, quam frigus: Quodsi hoc vehemens sit, corpusque feriat, est quoque, ac si uramur. Sicque pungunt particulæ nitrosæ, quibus aër tum temporibus turget, hinc Poëta ait: *Boreæ penetrabile frigus adurat & blando frigora mordentia morsu*, Pamphilus Saxus ait: *& redit ad nostros frigida luna Polos*. Non caret ergo admiratione, quod referunt de *Aenea*, qui postea *Pius II. Pontifex fuit*, is enim voti damnas *Deiparæ Virginis delubrum*, quod in *Scotiæ Regno celeberrimum est*, glacie per decem millia passuum nudis pedibus calcata vere *Pius* adivit. *Bonifacius Rhodiginus in historia ludicra Lib. II. cap. XXIV. p. 47.* quomodo hic Vir tam vehementem lunæ uestionem tolerare potuerit. Lunæ licet suum nativum frigus infit, tamen illud adauget suo influxu *Saturnus*, qui *Planeta frigus* in majori copia cum luna communicat, sicque fons frigoris *Saturnus una cum luna est.*

THESIS. V.

*Materia
frigoris
duplex,*

Materia frigoris est vel in statu evibrationis, ut è suo fonte profluit, sicque sunt effluvia Luna: vel ut in statu receptionis, sicque nitrum, quo aër semper turget cum primis hyemis tempore, effluvia instar magnetis imbibit, atrahitque, ac cum corporibus naturalibus in numero, pondere & mensura communicat.

Exege-

Exegetis.

§. 1. Quoniam frigus ens positivum vel substan-
 tiam esse defendimus, hic etiam materiam ejus ex
 qua, definiamus, necesse est. Hæc autem cum duplici
 respectu consideranda est, ut in thesi diximus, (i) qua-
 tenus ab origine vel fonte, ex quo scaturit, scilicet Lu-
 na commercium habente cum Saturno, dependet. Hinc
 ejus radii sunt nitrosæ naturæ analogi. Hi itaque in-
 fluunt in corpora, quæ proximè ad ejus naturam vel
 indolem accedunt, sicque in statu receptionis conside-
 randa est materia, & hæc sunt talia corpora, quæ illos
 radios attrahendi vim magneticam possident, hoc
 ipsum est nitrum, quo nunquam non aer noster impræ-
 gnatus est, ac eo semper imprægnatus sit, oppido opus
 necessarium est, nam, ut sulphur illud, sal igneum, ignem
 attrahit, ut magnes ferrum, eodem modo nitrum sal
 æereum sibi per intrinsecum magnetismum unit ra-
 dios lunares, hoc nitrum istis radiis imprægnatum
 eorum vim cum aliis corporibus naturalibus com-
 municat, & quidem juxta legem Adrastæam nature in-
 pendere, numero & mensura fundatam, juxta subjecti
 capacitatem. Nitrum, utut magues sit frigoris, ac eo
 semper turgeat aer, qui recte dicitur cista thesauraria
 DEI, est fecunditatis principium hermaphroditicum,
 calorem frigus simul possidens, simulque largiens suo
 influxu substantiis naturalibus, uterque autem hic spi-
 ritus, scilicet ignis & frigus insunt juxta tempera-
 mentum ad justitiam, quod temperamentum ad ju-
 stitiam consistit in harmonica ponderis, numeri, mensu-
 ræque capacitatis. Quod autem nitrum hoc sulphu-
 reas

Nitrum est
 magnes
 frigoris.

B

reas

reas particulas una cum frigore in se habeat, probat fulgurum, fulgurationum & corruscationum frequentia, quam animadvertere licet *tempore hyemali*, & quo magis frigus intenditur, tanto frequentiora hæc phænomena accidunt. Ejusmodi phænomena nihil aliud sunt, quam particularum nitrosarum & sulphurearum fluor, qui interdum per corruscationis motum in corpora se inserit, cum primis fluida, eaque constipans & addensans. Non sine causa addidimus in thesi *in pondere, numero & mensura*, quoniam omnes naturæ actiones fato hujus legis Adrastææ immutabiliter obnoxie agunt. Ejusmodi nitrosæ particulae à ventis quibusdam magis vel minus moventur & agitantur, & summa vis frigoris venit à *flante vento Aquilonari*, ut qui ventus venit ex angulo mundi vel mundi provincia, quo aer præ aliis mundi partibus magis nitro nitrosisque particulis in alias mundi provincias propellit, & quidem per motum fulgurationum & corruscationum, quippe tempore brumali ut plurimum corruscationum phænomena *versus septentrionem animadvertuntur*, exinde ergo vel iis locis *Aquilonaribus* frigus profluere & alia loca aliarum provinciarum instar diluvii inundare certo certius est, illa, quæ hic de nitro nitrosisque particulis diximus, confirmantur ab *Experientiss. Ramazzini*, in *Ephemeridibus Barometricis Mutin.* p. 9. *Nitri efflorescentiam super muros antiquos ex calce & lateribus constructos hyeme præsertim, & cum aquilonares venti dominatum obtinent, passim videri, & nitri collectores tunc totos esse in verrendis muris,*
quia

quin uberiorem nitrosæ materie copiam e muris, qui Boream spectant, quam qui austrum, eos congerere. Locum hunc ex Ramazzino Excell. Hamberger l. d. p. 344. adducit.

THESIS VI.

Objectum frigoris est quodlibet corpus naturale.

Exegesis.

Frigoris
objectum.

§. 1. Frigus dominium sibi sumit in totum sublunare regnum, quoniam habet fontem universali influxu influentem, i. e. lunam, nam, quemadmodum sol totum sublunare systema calefacit, eodem modo luna totum sublunare systema frigefacit. Utrique huic syderi Deum dominium concessisse in sublunarem orbem docent nos spiritus S. pandectæ. Sicque vim frigoris patitur aer, patitur ejus quoque violentiam aqua, sentit quoque ejus tyrannidem terra, percipiunt ejus uktionem animalia, tolerant ejus morsum blandum vel vehementem vegetabilia, ejusque impetum recipiunt mineralia: Blanda ejus accessio vel blandus ejus morsus fecunditatem promovet & corporietatis principium incrassans est, ejus autem morsus urens sterilitatem inducit. Hinc frigori nihil inivium, nilque impenetrabile, ignis quoque vim adauget, vel etiam extinguit. Si enim potentior fluxum habet frigus, quam ignis, tunc ignis extinguitur, si autem ignis efficacior fluxum habet, quam frigus, tunc frigus cedit. Non raro etiam accidit, quod ignis & frigus centraliter conspirent in unum idemque objectum, ita, ut nec frigori, nec igni prærogativa efficaciam possit tribui. Talia objecta ejusdem multa sunt, aut tamen huc cum primis elu-

B 2

cet ex hoc ente, quod adepti suum menstruum adæquatam salutant. Quomodo autem hoc menstruum ignis, frigusque sit, ac quomodo uterque spiritus quasi incantatus thesaurus sub hujus entis integumento lateat, ac quomodo suo nexu incantationis Archei naturæ beneficio solvi queat, docet in *Enchiridio physica restituta, & arcana Hermetica philosophia opere* autor, qui sub hoc utroque Symbolo: *Spes mea in agno, & penes nos unda Tagi delitescere* voluit, in utrumque opus Commentarium *Dei auxilio* conscripsimus, in ultimum scilicet *opus arcanum philosophia Hermetica brevi forsan* in lucem prodibit. Huic menstruo ignis frigusque tam Harmonice juxta temperamentum ad justitiam insunt, ut neutri prærogativa suæ efficaciam virtutisque tribui queat. Verum, si adepti illud in duplici sua mola molant terantque, tandem prævalet ignis. Hujusque menstruum est ille ignis defossus, cujus mentio in historia *Maccabæorum*, qui postea in aquam crassam conversus repertus est.

THESIS VII.

Frigus effectus suos per octuplicem motum edit, vel vim suam exserit.

Frigoris effectus.

Exegesis.

§. I. *Frigoris effectus, quos in natura æconomia animadvertimus, sese singulari mirabilitate & varietate commendant, dico mirabilitate, quoniam humanum ingenium ad illos effectus stupet, ac in iis tam admirandorum effectuum opificem devote veneratur, diversitas etiam tanta est, ut vix hujus diversitatis numerus iniri possit, quam diversitatem ad*

ad octuplicem motum revocamus. Sicque habet
 1) motum expansionis, 2) contractionis & concentra-
 tionis 3) aggregationis 4) sympathia & antipathia 5)
 continuitatis 6) contiguitatis 7) impulsione 8) li-
 berationis. Quos motus ordine expendemus, ac hi-
 storiis comprobaturi sumus.

§. 2. *Primo occurrit motus expansionis vel* <sup>Motus ex-
pansivus</sup>
expansivus, quo motu corpora quædam expandit &
 dilatat, quem motum expansivum probant sequen-
 tia: & de sævitia hyemis Anno 1608. mensibus Jani.
 & Februario, dum hæc conderem, hebdomadas sex
 integras adeò sævit hyemis rigiditas, ut vasa con-
 fringeret, non modo figulina, vitrea, stannea, sed
 cuprea etiam crassissima, quibus aqua continebatur.
 Atque tum panis recens è clibano extractus mox in
 duritiem velut lapideam concresebat, nec in cellis
 vinariis à glaciè tutus erat. Mitescente verò frigoris
 sævitia singulæ ædes Lutetiæ intus & extra horrido
 gelu incanescebant. Multi autem pulmonum &
 partium spiribilium toto illo tempore grassabantur,
 quibus quamplurimi peribant. *Rondeletius Inst.*
Pharmaceut. Lib. 4. c. 2. Quomodo metalla & va-
 sa ex metallis composita ruperit & disruperit frigus,
 commemorat *Strabo*, quod in *Ponto* æneas hydrias
 frigore fuisse disrumpas, citante *Mundt. in novo lum.*
phys. c. 4. art. 3. cui sociamus ex eodem Auctore
 hanc observationem: *lapides in locis, ubi dominatur,*
ejus vi dissilire videas, & humum in Mosciforo debi-
scere præ vehementia ejus dicitur, & majores egisse
rimas, quam alibi ab æstu factas cernimus. *Arbo-*

rum quoque truncos eo impetu à gelu diffindi ferunt, ut non minorum, quam machinæ murales à pulvere pyrio fragorem ita displosæ edant. Ista fissuræ in vasis metallicis, in lapidibus, in arboribus dilationem & extensionem satis superque probant & evincunt, frigori vim ingentem inesse, qua firmissimi contextus corpora tanto fragore diffringit, ille fragor, qui auditur à defringendis arboribus, tonitruui haud abfimilis est, hinc itaque patet, quod boatus tonitruialis, qui ætate auditur, non nisi frigori vel nitrosis potius particulis sulphure commixtis acceptus referendus sit. Hinc minime opus geniorum in aere existentium cum *Cardano* comminiscamur luctam.

Motus contractionis.

§. 3. *Huic succedat motus priori contrarius, nec minoris efficacix contractionis, quem & motum concentrationis vocamus, nam, ut in motu expansivo objectum latiores amplioresque terminos acquirit, sic è contra in motu contractionis termini extensionis coangustantur. Quod & ille motus contractionis & recte in quibusdam objectis motus concentrationis audiatur, hinc patet, quoniam in quibusdam objectis vis diffusa ex diffusis suis terminis in centrum aliquod redigitur, utriusque motus identitatem sub sequenti discursu evincemus. Istius motus evidens testimonium patet in terra lutosa & limosa in quam terram, si sævit gelu, tunc terra illa contrahitur ac coarctatur, & in coarctatione sic humidi expressio, ita, ut, si frigus diutius perseveret, lutum exsiccare videatur. Ad vim motus concentrationis etiam*

etiam referimus, ignem frigoris vi fuisse extinctum, quippe notatu dignum est, quod narrat Paulus Venetus: ignem in quadam *Tartariae* valle montibus toto orbe editissimis subjecta ardere non posse, ideo quibusdam fabulosus est habitus: at nostro seculo fidem liberavit, postquam ab *Anglis & Belgis* in *Charletonia* & nova *Zembla* hyematum est. Ignis enim quos in hybernis excitarunt, adeo languide prae ambientem nimium intense frigido arserunt, ut ad motos foco non calefacerent. Scripsitque *Jamesius*, quod tunc aquae in atheno focus admotae pars igni proxima aegre calefieret, quae adversa vasis parte remotior erat, glacie pollicem *crassa concreverat*, *Mundi. in nov. lum. phys. c. 4. art. 3. p. 28.* Frigus & ignis sunt sibi opposita, & in se invicem agant ac dominium exerceant, ex hac historia allata patet. Istud autem dominium variat, modo *ignis* superat *frigus*, modo *frigus superat ignem*, prout frigoris vel caloris vis fortior sit. Frigus adeo concentravit ignem in citatis locis, ut vim suam exercere non potuerit, sed sub pressura frigoris succubuerit & extinctus fuerit. Ad motum concentrationis quoque referimus, quod idem *Mundi* narrat: Qui intra circulum Arcticum proxime polum degunt, *Lappae, Samoiedae*, alique *populi*, qui etiam perpetuam tere hyemen & frigora vix ferenda habent, perpusilli sunt, nec ad justam aliorum hominum staturam unquam perveniunt. Equi etiam in plagis nimis frigidis exigui sunt. Et boves vix asinis pares, & propter frigus

frigus cornibus carent. Quod celeberrimus Auctor
 afferit de populis in isto climate frigido natis adeo
 brevi statura præditis, veritati & experientiae sem-
 per respondeat, haud afferere ausim, cum quoque
 septentrio aliæque plagæ frigidæ proceram gentem
 & robustam gignant & procreent. Aequè brevis sta-
 turæ homines in calidis regionibus ac frigidis inve-
 niuntur, ut itaque hujus Excellentissimi Viri asser-
 tum relinquamus suo loco. *Motus concentrationis*
 sequentia damus experimenta: *Magnus divinusque*
Paracelsus, summus Theologus & Philosophus jam o-
 lim obtulit modum, vinum in phlegma & essentiam,
 ceu vocant, mediante congelatione dirimendi. Ve-
 ritas quidem hujus rei dubiosa fuit habitâ *Dn. Boy-*
lio, aliisque, sed fidem conciliavit illi *Viganus* in
medulla chimie. vid. *Bohn. dissert. chimico Phys. XV.*
p. 426. scilicet, si vinum frigori, sive naturali, sive
 artificiali exponatur, congelatur quidem in peri-
 pheria, in medium vero se recipit pars non conge-
 labilis & oleosa magis. Estque in vulgus notum,
 cum *Belgæ* centum & duobus ab hinc annis per fre-
 tum *Weigats* penetraturi in orientem, illic glacie cin-
 cti hybernare cogerentur, vinum in doliis crusta
 glaciali fuisse obductum, eaque fracta generosissi-
 mum vinum in medio fuisse deprehensum, cum gla-
 cies illa liquata longè insulfior esset. Et hic modus
 quorundam est parandi quintam vini essentiam, in
 dolii vini congelati centro reperiundam. Nos idem
 experimentum cepimus in vino nostro viliori, quod
 acore suo alias ingratum paulo congelatum extus,
 lingua

Motus con-
centratio-
nis.

linguæ longe gratus in medio se obtulit. Similiter cerevisiæ quoque partes mediæ & interiores sunt vegetiores, & decoctum *gentiana radice*, in medio & coloratius & amaricantius visum scribitur, quemadmodum & de *fuliginis oleo*, non per calorem sed frigoris vim extrahendo legi potest du *Hamel. Phys. gener.* L. IV. c. 5. §. III. p. 774. sic etiam in depurandis liquoribus frigus egregium est, dum ad fundum præcipitat, quod nec igne, nec solutionibus, nec filtrationibus potuit separari, veluti id de multis salibus & aqua artificialiter sæpius congelata constat, quod hæc ut plurimum habeat sedimentum in naturali congelatione non visendum. Frigoris hunc effectum *ad usus suos applicarunt Chimici*. Evaporatas enim solutiones salium ad justam consistentiam, ut eo nitidior formam iis concilient, reponunt in locum frigidum, subterraneam cellam v. g., unde secedunt *salia* ab aqua refrigerata, præcipitantur ad fundum & latera, inque elegantes crystallos concrescunt, majores vel minores, prout lixivium istud saturatius fuerit vel minus. Nec abludit adeò ratio illa eliciendi vini spiritum, citra ignem, per nivem circa capitellum alembici positam, qua usum fuisse magnum. *Hetruria* Ducem, traditur in *Journal des Scavans*. Ant 1684. Mens. Jun. pag. 236. Hæc experimenta adduci, *Excell. philosophus Hamberger* diss. de *frigore* eruditiss. pag. 323. 324. ad imitationem oleum componendum ex fuligine per frigus *talem processum commendamus*, oleosam quintam essentiam eliciendi ex aloë, croco, myrrha, junctim sumtis. *Recipe aloes optime*

ma, myrrhæ, crociana uncias duas, affunde aquam cardui benedicti ad Lib. III. Spiritus vini rectificati uncias sex, hanc mixturam coctam & filtratam expone aëri frigido, quando in eum sevit intensum frigus per duas noctes in vase, quod frigus non rumpit, sed non metallico, nisi ex puro stanno sit, & in medio invenies oleosam quintam essentiam præstantiorem, quam ut Vulcanus æstuans dare potest. Sicque ex aromaticis radicibus vel ex aromatibus quintam essentiam hac methodo, tibi Vulcanus algidus pariet, meliorem Vulcani calidi ope producta. Sicque chemia non duntaxat requirit ignem calidum, verum etiam requirit ignem frigidum. Scilicet chemia per viam humidam, chimia per viam siccam, de qua adhuc nemo scripsit, præterea, quæ nos aliquando daturi sumus, solum & unicè requirit & postulat ignem calidum, imo ignem per gradus ascendentem & opus perficientem, ad hoc opus requiruntur ædipi, qui atro carbone macularunt manus, non Davi.

Motus

Sympathie & antipathie.

& antipathie.

§. 4. Habet & frigus motum Sympathie & antipathie. Sympathie & antipathie mysterium adeo in naturæ œconomia efficax est, ut non duntaxat in quolibet regno corporum naturalium, verum etiam in ipso frigore, *cujus proprium est quietem aliquam apparentem per vehementem actionem influxus inducat*, hæc sympathie & antipathie operatio etiam hic conspicua est ac in sensus incurrit, hujus motus testimonium unicum adduxisse sufficiat ex *Mundt in suo nov. lum. phys. c. 5. p. 34. 35.* In locis igitur, quibus hoc malum familiare, si quis eo corripitur, quam
 primum

primum senserit & priusquam hypocaustum subeat, locum affectum non alio strigili, quam nive strenue affricando frigus elicit, spiritusque fugitivos in suas sedes reducit. Si quis totus gelu obtingit, in frigidam ab eis, qui eum curant, immergitur & non nisi gelu educto ad ignem aut hypocaustum admittitur. Hoc ferè unicum est huius mali remedium & certissimum. Et qua historia elucet, motum Sympathiæ à frigore, non abhorrere, frigori potius maximè esse proprium. Imò idem evincunt poma, ovaque congelata, hæc aquæ frigidæ commissa aqua illa gelida ex horum corporibus frigus extrahit ac cortice glaciali horum corpora circumdantur, quod est irrefulabile motus Sympathiæ experimentum. Quo jure tribuimus frigori motum Sympathiæ, eodem jure tribuimus quoque motum antipathiæ, sicque refert Hottingerus, Magni Hottingeri, Theologi apud reformatos ac Philologi consummatissimi, Polihistoris incomparabilis Nepos Hottingerus in sua perdocta descriptione montium glacialium Helveticorum addita An. 910. Decurie III. Academiæ Curiosor. c. 6. p. 7. p. h. 54. ubi hæc leguntur: Puritatem ipsorum Auctores non satis exprimere norunt. L. C. habet quamvis ad Metallifodinas referri non possint, quoad tamen puritatem Crystallis quam proximè accedere, ac ipsarum instar splendere: omnium impuritatum esse impatientissimos, aliarumque rerum mixturam minimè ferentes, sese ipsos purificare, omnesve heterogeneas partes, lapides, ligna, arenas aliasque sordes longe à se repellere, ut nulla amplius inquinamenta remaneant. Quæ im-

puritatum rejectio antipathiae motum satis evidenter evincunt, & mirum est magnumque naturae miraculum, quod glacies instinctu quoque quodam naturae praedita est, ut illa à se amandet, quae ejus puritatem ofuscare queunt, hicque motus Sympathiae & antipathiae est operatio *Archei naturae*, ordinis & harmoniae tenacissimi.

*Motus
continuitatis
& contiguitatis.*

§. 5. *Motus continuitatis & contiguitatis* jam consideramus. *Duos contextus* in corporum naturalium compositione molitur & nunquam non efficit *archeus naturae*, scilicet corpora continuo vel contiguo contextu gaudencia elaboret, vel vere vel apparenter talia. Eodem modo in frigoris accidit molimine ejusmodi *continuitatis & contiguitatis* motus. Quippe hic (1) audiemus illa ipsa, quae narrat *Mundi in nov. lum. phys. c. 4. p. 25.* Quidse de exercitiis numerosis cum impedimentis, non alio ponte in agros hostiles peringentes fluvios & estuaria transportatis narratum fuisset? Imo, in ipsis fluviois aut mari equestria aut terrestria praelia commissa sunt. Strabo narrat: *Neoptolemum Mithridatis Ducem eodem incurso, hyeme praelia equestri, aestate vero navali barbaros superasse.* Quod circa *Maotidem paludem* gestum videtur. Et in regnis septentrionalibus idem ubique factitatum est. *Nostra etate Rex Suecorum Hafniam obsessurus in Zelandiam glacie trajecit cum omnibus copiis & bellicis instrumentis, ut Poeta canit. Qua naves ierant, pedibus nunciatur, & undas frigore concretas ungula pulsatur equi.* Idem *Olaus Magnus* refert de mare Suecico congelato, quod illic praelia & certamina fuerint commissa. Continui-

tinuitatis contextu etiam gaudet illa glacies, cujus meminit magnus ille nostræ Germaniæ Physicus *Sturmius* in suo elegantissimo opere phys. elect. cap. 7. ph. 4. p. 605. cui jungimus, quæ habet ph. 6. p. 607. *Hic quippe refert ex ore cujusdam celeberrimi, qui per aliquot annos in Russia vixerat, glaciem ista regione multo duriores esse, quam in Anglia. Narrat etiam p. 366. ex relatione cujusdam Navarchi, nomine Weymouth, qui viam in Zephyro Boream inter terras Boreales & Americanas quaesiverat, quod glaciem ibi obviam fractu difficilissimam ac petrae instar duram offenderint. Memorabilia exempla sunt ista, quæ B. Boyleus nobis ex Navarchi James relatione commemorat, in Insula Charletonia, majori frigoris vehementiæ, quam alia multo septentrionaliores regiones, obnoxia, lignorum hyeme asciandorum à lignatoribus tantam fuisse duritiem, ut securis aciem non admitterent, nisi prius in igne regelata, & sternendam arborem omnes securis ictus elusisse, donec accenso circa ipsam igne summam ejus duritiem aliquantum emollivissent. Ejusmodi robur & durities glaciei durusque lignorum in hyeme contextus continuitatem à frigoris vi dependere satis superque evincunt. Succedit itaque motus continguitatis, qui animadvertitur in vinis generosis & aquis vitæ congelatis, hi liquores, si congelantur, in forma olei apparent, non secus, ac oleum amisi, ut docent, qui in Russia frigus experti sunt, motus etiam dominatur in generatione nubium, quippe in nubibus aquæ sunt congelatæ sub contextu raritatis & instar carminatae lanae coherens, sibiq; annexæ*

sunt, sed sub *falo* contiguitatis, non continuitatis. Ceterum ponderositate sua aerem ita premerent, ut aer sustinere non possit molem nubium vel ingentes nubium colossos. Contiguitatis quoque contextus à frigore efficitur *in nive*, ut, quæ quidem glacies est, est rara, instar lanæ. Ad cujus contiguitatis contextum etiam referimus illas figuras, illaque simulacra, quibus frigus in hyeme in *orbitis fenestrarum* ludit, in istis enim vitris tempore brumali cernuntur figuræ elegantes, eleganterque exprimentes imagines arborum, fruticum, suffruticum, foliorum, imò & foliorum carduorum, quæ omnia pulcherrimum aspectum præbent, & oculos oblectant. Et quod mirandum est, si iam, rami illarum imaginum quasi juxta mensuram à se invicem distincta apparent, ita, ut nullus pictor perfectiores imagines pingere possit, quam natura suo penicillo quamque frigus suo influxu adumbrat.

Motus aggregationis.

§. 6. *Motus aggregationis quoque* apparet in frigore. Et in hoc motu homogenea & heterogenea congregantur, quem motum solummodo respiciunt Peripatetici, & juxta hunc motum definiunt frigus, quod sit *qualitas homogenea & heterogenea congregans*, sic quoque *Aristoteles*, sicque tota caterva Aristotelicorum definit frigus. Ast Peripatetici hac definitione turpissime produnt ignorantiam *propriatum* frigoris, hanc definitionem esse falsam & minime *suo definito* convenientem sexcenta probant phœnomena & etiam falsitas hujus definitionis patescit ex iis, quæ diximus de motu *expansionis, concentrationis*.

tionis, ac de motu Sympathia & antipathia, conferantur quæ habet Basso L. de actione suæ physices intent.

III: art. 2. p. 413. 414. 415. 416. 417.

S. 7. *Motus, qui dicitur motus impulsiois vel Motus impulsiois*
 & motus impetus vel irruptionis, jam à nobis considerabitur. Hic est ejusmodi motus, quo frigus adigitur, ut transeat crassissima objecta. In illo motu duo consideranda vel cognoscenda sunt: 1) *quenam sit causa impellens?* 2) *unde materia tam fluida, ut frigus est, impelli possit tam fortiter, ut durissima corpora penetret?* quod ad primum attinet, tunc jugis & perennis evibratio & luna in tanta vi exercetur, ut instar sagittarum ex arcu emissarum propellantur radii frigoris & *agminatim & cateroatim* ruant impetu tam vehementi, ut sufflammari non queant, aut in motu suo impediri, quippe tempore brumæ sævientis aer tam plenus est *frigorificis particulis*, ut *totus aer nil aliud sit, quam inundans particularum frigorificarum oceanus*. Plurimum quoque conferunt ad motum impulsiois ventorum *flatus ex borea oreundi*, quod si ventus sit *Zephyrus*, tunc frigorificarum particularum agmen dissolvitur & dissipatur. Quod ad secundum attinet, non obstat, quod materia sit fluida nihilominus in corpora dura impingi potest, nulla etenim corpora tam dura dantur, tamque *firmitate contextu gaudentia*, tamque *arcta connexionione prædita*, quæ non habent *poros & foraminula minima*, per quæ datur ingressus, tum etiam particulæ frigorificæ sunt acutæ & acutam cuspitem habent instar acicularum, tales acutæ atomi facillime poros solidiorum corporum

ac duriorum ingrediuntur, scilicet si ab aere æthere, quo premantur, hinc ut frigori nil sit invium, & nil tam spissum, quod vim ejus in totum abarcere possit. Ad hunc motum impulsione impetusque referimus, quod prælaudatus Sturmius c. l. p. 607. Ph. 6. scribit: ex ore duorum peregrinantium, qui Moscoviam diversis temporibus adierant, quod, cum ædes ibi, ex more regionis lignæ essent pleræque omnes, sæpe hi-bernis noctibus trabes & asseres horrendos edant cre-pitus, quibus simile quippiam olim Jene nos audire me-minimus civis alicujus ædibus excepti, quæ scandulis recte fuerant, è quibus crepitus audiebamus tota nocte intensissime frigida continuos, a clavorum ferreorum (uti postmodum edocebamur:) quibus affixæ fuerant scandula, violenta quadam extractione aut explosione potius, oriundos. Quibus jure junguntur ea, quæ ha-bet Excellentiss. Hottingerus in descriptione montium glacialium c. 6. ph. 8. p. 54. Vernali & æstivo tempore calore accedente, maximo cum fragore, crepitu, mu-gitu ac tonitru, quasi omnia inferiora superioribus mis-cere conentur, debescunt, disrumpuntur, ac si montes ipsi ruere viderentur. Fit tamen non una vice, sed per aliquot septimanas, imo per totam æstatem, ut ip-semet non sine summo stupore percepi, verum tonitru aërem nostrum vibrare ac percutere autumans. Pro-ductum mugituum horum sunt siffure, hiatus ac cavi-tates, Incolis Spält Schröffen dictæ quatuor vel quin-que pedum latitudine, imo sæpius ampliores, nonnullæ immensurabiles fere, aliæ CCC. vel CCCC. ulnarum, quos inspicientibus nihil nisi mera, pura glacies, ocu-lis

lis subjicitur. Hiatus hi profundissimi, si denuò nova nive, vel conglomerata, vel recentè solum delapsa repleantur, ac concidant, eodem fragore statim alio in loco fissuras agere observant. Mündt. & Wagn. l. c. p. 26. hac hyeme 1708. in cujusdam rustici villà arboris trigoris vi à summitate ad imam partem horreo strepitu divisa est, imò in sylvis iste boatus, ab accolis auditus est. Hæ historiæ sufficiant ad motum impetus demonstrandum & quod ille motus tam violenti soni, tantæque penetrationis ab ingressu auræ nitrosæ, quam premunt æther & aër, dependeat, evidens est.

S. 8. *Fæ* ultimo sequitur motus liberationis, quem etiam motum præcipitationis nominare licet, siquidem frigus multa objecta à sapore & ab odore suo liberat vel privat. Unicum exemplum adduxisse sufficiat, quo factis motus præcipitationis demonstratur, & habet hoc ipsum celeberrimus Borrichius in Actis Hafniensibus 1671. p. 64. Quotannis, inquit, experimur, glaciem marium nostrorum, etiam integrum pedem crassam, insulsissimam esse, si inferior tantum vultus, quem adhuc salsa aqua allambit, excipiat, quo perfunctorie ablato, tota glaciei marinæ massa lingue insipida occurrit. Plures eruditi Viri hoc observarunt, inque plurimis locis & hoc tam vulgare est, ut nullus sit nauta, qui non istius rei cognitionem habeat, licet causam ignoret, quam etiam eruditi sub formidine oppositi sciunt, maximè autem probabilis sententia est, quod aura nitrosa instar fumi in aquam se inferens eam consolidet, eamque lorica glaciali regat, sicque particulas salinas præcipitet, & quod nitrosa

D

quedam

Motus li-
berationis.

aura sit, eleganter proposuit *Eccles. X. 22. in hunc sensum scribens: frigido vento Borea efflante compingitur ex aqua gelu in omni congregatione aquarum diversatur, & aquam velut lorricam inducit* Boreas autem ex nitrosis provinciis venit, sic quoque nitrosas particulas advehit. Et hæ particulae sua figura, qua discrepant à sale marino, sal marinum præcipitant.

*Alii effectus
frigoris.*

§. 9. *Præter hos recensitos effectus & alios effectus admirandos habet, ut dura durissimaque corpora fragilia faciat, sicque ferrea instrumenta sæviante hyeme multò fragiliora sunt, citiusque rumpuntur, quam aliis anni partibus. Lapidem etiam, (asserente Excellentiss. Hamberger. alleg. loc. ph. 127. p. 325.) consistentiam solitam perdunt & fatiscunt in plures particulas, hincque imbrices sæpe nulla violentia alia prægressa de tectis cadunt diffracti, vel exasperati in superficie ibi manent. Ossa in equis aliisque animalibus instar vitri fragilia esse, ut multo leviori lapsu fuerint fracta, ut probat experientia, quædam putrefacit, à quibusdam putredinem abarcat. Narrat Sansonius. Geogr. L. 4. p. 66. quod, cum Almagrius Dux Hispanus ex Peruano regno per illos in regionem Chili superiori seculo penetraret, nonnulli ex ipsius comitibus frigore enecati ita obriguerint, ut post aliquot annos reversus eos adhuc incorruptos, equis similiter extinctis insidentes & lora tenentes deprehenderit, quam historiam debemus Hambergero in sua dissertatione de frigore ph. 18. p. 298. cui jungenda sunt, quæ habet *Physicorum nostræ Ger-**

Germania Princeps Sturmius in doctissimo suo opere de electiva physica cap. 8. ph. 12. nonnulla contra, præsertim ipsa eneëtorum cadavera & carnes ab ulteriore corruptione diutissime conservat, adeo quidem, ut e. g. Simlero oculato teste, quem allegat Bartholinus de figura nivis, cadavera hominum à devolutis nivibus alpinis (qui casus præsentis anni 1695. hyeme quoque contigit, ita referentibus tum temporis Novellis) obruta & sepulta in maturam usque ætatem incorrupta sub nivibus delitescant, & eodem Bartholino alibi narrante, corpora occisorum d. 11. Febr. 1659. Suecorum in oppugnatione Hafniæ urbis reperta sint, postmodum eodem positu vultuque rigida, quo viva adhuc fuerant oppressa, pariterque teste Jacob Navarcho aliquoties jam laudato, de mortui cujusdam cadavere, ante sex menses in mare demissum, & sub glacie forte fortuna iterum conspectum indeque effossum, indemne prorsus & incorruptum protraheretur, nec ullam aliam mutationem passum, nisi, quod carnes solutæ circa ossa ultro citroque moveri eodem modo poterant, quo chirotheca circa hominis manum, ferina denique Alciscaro probe congelata, nec salita prius ex Siberia Moscoviam missa per aliquoties centenas leucas, nihil corruptionis passa sit. Hæ historiæ hac vice sufficiant, quænam autem æthiologia sit, si disquiratur, tunc hæc virtus in duobus consistit, 1) in eo, quoniam frigus corpora indurat, hinc pori tam arctè constringuntur, ut partium aliqua dissolutio fieri non possit, hinc & nulla continui solutio, quamdiu autem partes manent unitæ, ut nullus fiat hiatus, nulla con-

tinui solutio etiam putredo ingruere non potest, verum ipso actu, quo fit regelatio, nexusque frigoris solvitur; putredo etiam se prodit 2) & dici potest, quod nitrosæ particulæ, quæ tam altè corpora penetrant, contra putredinem balsamum sint, in regelatione autem aquæ particulæ nitrosas particulas absorbent, nitrum enim solvitur in aqua, hinc illicò putredo accedit. Sed quid sentiendum de animali Bohack dicto in Ucraina, quod totum frigore rigit, eo soluto vitam recuperat. Nostro arbitrato hoc animal patitur concentrationem caloris, qui interanea contra frigus, quod extremis partibus inhæret, defendit, frigore remittente calor sese rursus per totum corpus diffundit, simile experiuntur hirundines, ranæ, hæ mortuæ quasi jacent, frigore desinente reviviscunt.

Omnes effectus nostrum frigus fecit. §. 10. Quando nunc hos effectus frigoris consideramus, quos longa serie adduximus, omnium horum effectum phænomena in frigore elapsa hyemis 1708. sese manifestarunt, quod probatu esset facile, si historias de isto frigore conscriptas accumulare esset libido, sed remittimus hujus rei avidos ad eos auctores, qui historias physicas conscribere solent, proinde prolixiores hic simus non operæ pretium, nisi quod addamus, 40. annorum spatio tam vehemens frigus non sæviisse, in Holsatiam, quam elapsæ hyemis frigus fuit. Imo & Livonia oriundi afferunt, quod & triginta annorum spatio tale frigus non fuerit animadversum, quam quod elapsa hyeme experti sunt.

THESIS

THESIS. VIII.

Calori vel frigori an debeantur prærogativa, nemo absolute definire potest.

Exegetis.

§. I. Quoniam ex S. S. pandectis docemur, Deum Caloris & omnia in pondere, numero & mensura creasse, calor Frigoris autem & frigus etiam huic legi Adrastæe fataliter Prærogativa. tanquam duo spiritus, qui in hoc mundi theatro principales agunt personas, principalesque dicuntur causæ agentes, à quarum influxu harmonico & ordinis lege circumscripto generationis & corruptionis mysterium dependet, subjecti sunt. Cujusnam itaque spiritus pondus, mensura & numerus præ valeat, definiri non potest, quippe operationes utriusque tam admirandæ sunt, ut, si expendantur in definienda prærogativa, etiam sapientissimo Salomoni, qui philosophatus fuit à Cedro Lybani usque ad hysoppum è muro proserpentem, aqua hæreat, & exclamare cogatur dicto Scripturæ, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, & quanto plus laboraverit ad inveniendum, tanto minus inveniat, etiamsi dixerit sapiens (sive Philosophus) se nosse, non poterit tamen reperire Eccles. VIII. 17. Solummodo expendendum propono Philosophis, quod frigus modo agens, modo patiens sit, & calor etiam modo agens, modo patiens sit. Imo, ut loquamur cum sublimioris philosophiæ cultoribus, frigus modo maris, modo foemina vice fungitur. Ita quoque & calor modo officium maris, modo officium foemi-

ne peragit. Unum autem homo sibi vindicare potest in utriusque spiritus regimine, quod DEUS ipsi magis clavem concesserit ad calorem augendum & minuendum, quam ad frigus, sicque quolibet tempore, qualibet hora ignem excitare possumus & in usum nostrum vertere, scilicet *ex attritu calybis ad silicem*, quod si æque clavem haberemus *ad frigoris portam referendam*, multa majora miracula ab hominibus edi possent, quam jam edi queunt, idcirco hujus respectu quodammodo calori *prærogativa*, scilicet quatenus ille magis est in nostra potestate, tribui potest. Interim, si utriusque operationes in oeconomia naturæ lance rationis, vel experientiae ponderemus, dubia ancepsque manet *prærogativa caloris, frigorisque*, tam ratione *utilitatis*, quam *necessitatis*. Utriusque spiritus *actiones, passiones* oppido naturæ *Archeo* utiles, ac necessariae sunt, modo sub hac *ponderis, numeri & mensurae* modo sub ista lege harmoniæ *adraftoea*, pro ut eam anni *temporis genius, & generationis & corruptionis* negotium postulant. Si Deus è mundo tolleret *frigus*, solusque calor dominaretur; cuncta vitrescerent; si tolleret *calorem*, cuncta obrigescerent, & mandatum Dei crescere, & multiplicamini &c. vanum & inane esset, ergo utriusque spiritus actio influens æqualiter necessaria.

THE.

THESIS IX.

Natura non solum per calorem, sed etiam per frigus duos architectonicos spiritus palingensiam exercet.

Exegetis.

§. 1. Natura quibusdam magnis philosophis *Naturæ* (inter quos Robertus Boyle, Sturmius, Germaniæ *quid?* nostræ decus, Greydanus, strenuissimus Carthesii affecla, primipili sunt) nil reale, sed merum vocabulum esse volunt, sed nostræ arbitratur est illa vis DEI creata, quam benedictionis eloquio Gen. I. 22. *וַיְבָרֵךְ* cum creaturis communicavit. Hinc illa vis tantæ efficacitæ, ut nihil sic perire sinat, quin corporis istius cinis prima minima materiæ in se retineat, ex quibus, si non verum corpus identificatum, tamen simulacrum vel idea aliqua corporis formam & figuram ideans & adumbrans excitari queat. Et, ut calor & frigus sunt duo organa vel spiritus architectonici, qui rerum perpetuam perennantemque generationem & corruptionem vivificam (corruptio mortificans non datur) omnemque mutationem efficiunt. Et per hos duos spiritus natura vel potius ejus Archeus (qui est combinata caloris & frigoris causa juxta numeri, ponderis & mensuræ legem agens) in naturæ corporibus corporumque salibus miros lusus palingensiam faciunt, iisque mentem in admirationem rapiunt oculosque oblectant.

§. 2. *Palingensia est magnum naturæ & artis mysterium. Duplex autem est palingensia, altera natu:*

naturalis, quam facit *Archeus natura*, hicque tam in calore, quam in frigore duobus spiritibus architectonicis maxime & efficacissime operatur, quæ per omnia tria subunarium naturalium corporum regna sese diffundit. *Altera est artificialis*, magnum chimiæ mysterium, de quo hoc loco multum fari instituti ratio non permittit. Solum videbimus, quomodo & frigus palingenesiam admodum elegantem meditetur, huc pertinet historia, quæ legitur in *Ephemeridibus Academiae Leopoldinae A. 5. & 6. Decur. III. obs. XCVII. pag. 195. 196. sicuti salia, purè præsertim talia in diversas abeunt figuras, quando interluente fluido aqueo absumto proprius coeunt, atque mutuis sibi implicantur spiculis, ita eadem à frigore in tales quoque coguntur, quas tamen posteriores fortuitas ego maximam partem esse reputo, & illarum etiam numero accensendam suspicor figuram æri incisam, quam salis *Melissæ* lixivium frigori subjectum mihi obtulit, quando crustam glaciale in superficie atmospheræ incumbenti proxima contraxit, ubi miratus sum foliorum plurimum ab invicem explicitorum seriem, ambitum extremum crenis divisum, & præcipue fibrarum ordini naturali prorsus simili expositarum contextum in glaciali icone conspiciendum. Novo experimento idem confirmamus, & quidem ex Hagendornio, animus erat, inquit, spiritum vini præparare omnibus quoque ad negotium hoc, ut decet, ritè adornatis, præterquam, quod liquor *Vulcano* committeretur, a vocatus autem priusquam domum redirem, frigus atrocissimum inopinatò ingruens
vinum*

vinum in distillatorio congelascere fecit, hinc domum
redux spiritum vini distillaturus vidi vinum conge-
latum per totum simul dispersis ramusculis cum fo-
liis albicantibus vitem representantibus &c. Anno
III decur. 2. obs. 31. pag. 90. vid. Borell. qui habet
hoc, cum D. de Linga Italus Chemicus Philoso-
phus, non procul à Manso Afilii in provincia Futen-
si rorem collegisset, inque magno collocasset, illum
matratio, glacie superveniente coagulatus fuit, ægrè
autem ferens, quod ros inutilis esset redditus, vas-
que glacie fractum glaciem aspexit & in medio ejus
arborem cum foliis, fructibus radicibusque ad nucis
figuram observavit Cent. 3. obs. 71, p. 252. Idem in
aliarum plantarum aquis distillatis & congelatis &
lixiviis contigisse scimus. Ex his similibusque histo-
riis videmus, naturam tam per frigus, quam per
calorem restorationi dare operam, adeò, ut *biatum*
vulnusque pati non queat. sed restaurare pristinoque
statui cuncta per formam resuscitatricem restituere
annitatur. Et palingenesia est fundamentum omnium
naturæ actionum, quæ facit, in mundo gene-
ratio & corruptio perennent, præbetque resur-
rectionis luculentum testimonium. Verum hæc suf-
ficient hac vice, ut de qua materia peculiarem dis-
sertationem proxime conscripturi sumus.

E

THESIS.

THESIS. X.

Datur aque magnes frigoris atque datur magnes caloris.

Exegetis.

*Magnes
frigoris.*

§. 1. *Dantur corpora in natura amphitheatro, quæ caloris maxima sunt participia, & de caloris vel maximè participant. Hæcque autem vel magis vel minus, sicque sulphur & naphtha sunt caloris magnetes, quemadmodum hoc notum est ex naphtha, quæ è longinquo ignem sibi unit ac in totum conflamat, nulla etiam corpora sunt combustibilia, nisi, quibus inest sulphur, sicque dantur animalia calidioris temperamenti, dantur & plantæ calidioris temperamenti, quæ omnia dicuntur ciste thesaurarie caloris. Eodem modo datur magnes frigoris, quod frigori admodum analogum, & sine quo frigus non est, sed est materiale frigoris, hocque est nitrum ac omnia alia corpora secundum magis & minus de frigore participant. Huc pertinet, quod refert Borellus de frigore in Moscovia, quod aer scintillulis instar atomorum aut talci minutiarum undiquaque scintillat, quemadmodum ad radium solarem atomos vel corpuscula quædam volitari cernimus. Cent. 3. obs. 74. p. 255. Imo & talia scintillantia corpuscula in nostro aëre in bruma videmus, hæ atomi sunt nitrosæ particulae (quarum matrix est aer) magneticæ, frigus attrahentes. An & salamandra frigoris innati sese ad tempus contra vim ignis conservet, non immerito disquiritur, tum etiam illa vis, qua piscis torpedo*

do gaudet, frigori sit tribuenda, etiam indaginem meretur, quippe hic piscis hanc habet naturam, ut, si tangatur, extremitate longissimæ hastæ, tunc per hastam longissimam vis quædam ascendit ad brachium hominis & illud ipsum torpescere facit, ut probat *Franciscus Rhedus in suis experimentis naturalibus*, qui effectus est revera *frigoris*, nam ille torpor, qui brachium invadit, oritur *ex aura frigida è piscis corpore emanante, spiritus torpentes reddente*. Præterea frigoris vim possident multa animalia ac innatam habent, similiterque multa vegetabilia, præprimis pisces, qui perpetuo in aquis degunt, habent innatum frigus, ita, ut, dummodo respirationem habeant liberam, vehementissimum frigus tolerare possint, ac ex illo nullum damnum capiant, imo probavit experientia, quod in quibusdam piscibus vivis sanguis quoque frigidus fuerit, ita, ut frigus isti animalium generi æque potens sit conservare illorum corpora, atque calor alia corpora conservat, & ipsi sit loco caloris innati, & spirituum vitalium in piscibus materia est. Itaque corpora sic actu frigida sunt magnes frigoris, nec sine frigore conservari possunt.

THESIS. XI.

Frigoris finis est (1) primaria gloria DEI (2) conservatio totius universi (3) generationis & corruptionis causa (4) ordo à DEO institutus.

Exegetis.

§. I. *Tritum est à Philosophis receptum axioma: Finis frigiditatis est DEUS.*

E 2

DEUS

DEUS & natura nil frustra moliuntur, quod axioma hic cumprimis invenit locum, Deus quippe omnia, quæ facit, facit eo fine, ut primo gloriam suam amplificet, secundo bonitatem suam nobiscum communicet, tertio omnipotentia suæ specimina luculentissima edat. Hæc elucent ex frigoris creatione, ut quod in se spectatum gloriam DEI decantat, ac insignem bonitatem per illud cum hominibus communicat, & omnipotentia divina frigus miraculorum promus condus est, imo longe lateque diffusum omnipotentia DEI amphibeatrum, in quo, quot sunt frigoris particulae, quot sunt in nive flocci, tot idem sunt depreciantes linguae divini Numinis gloriam ebuccinantes. Quod & frigus faciat ad conservationem totius universi, hinc & DEUS frigoris nunquam defituram perennem & sine interruptione durationem promittit. Gen. VIII. v. ult. Quodsi DEUS tolleret vim frigidam è mundo, mundus foret imperfectus, ac statim quo, persistere non posset. Quod & ad generationem & corruptionem plurimum conferat, & generationis & corruptionis vicissitudo ab eo dependeat, tota testatur natura, tota evincit oeconomia hujus universi, & nemo tam insipiens est, qui hoc ausus fuerit negare. Ordo totius systematis cæli & terræ quoque elucet ex frigoris & caloris vicissitudine. Quodsi in terra vel mundo semper regnaret calor vel frigus, miserrimus status, miserrima facies rerum esset futura. Sicque DEUS bene ordinavit, ut frigus calori, calor frigori succedat, & sibi invicem officium

um

um a DEO commissum peragant, ac mundum ini-
sta corruscantis ordinis pulchritudine nitidum ac pul-
cherrimum confervent.

THESIS. XII.

*Primum frigidum nec terra, nec aqua, nec aër est,
sed luna, imo ☉ ipse planeta Saturnus.*

Exegesis.

§. 1. Excellentissimus Auctor Plutarchus ali- ^{Primum}
quem libellum *de primo frigido* conscripsit, de quo ^{frigidum.}
quoque alii Philosophi postea acerrime inter se di-
gladiarunt, quodnam frigidum esset primum. Ali-
qui *aquam*, alii *terram*, alii *aerem* pro primo frigido
agnoverunt. Ast omnes eorum opiniones sunt fal-
laces & erroneæ. *Primum frigidum* 1) *non est in*
aère, ut, qui est omnium proprietatum, sc. calidi, hu-
midi, sicci & frigidi expers. Sed se habet instar
spongiae, nam, quemadmodum il'a omnis generis
humores imbibit & rursus ex ea exprimi possunt,
salva ejus substantia, eodem modo aër frigidum &
calidum & siccum accipit ab influentiis coeli vel sy-
derum. *Humidum* accipit à *nubibus* & ab *exhalatio-*
nibus aqueis è terra perpetuo ascendentibus, ita, ut
hinc aër sit indifferens, etsi esset *primum frigidum*,
nec avium agmina vel examina in eo vivere possent.
Siquidem extremum frigus aves extingueret 3) *aër*
inutilis foret ad respirationem hominum & animalium,
ut quæ animalia tam intenso frigore attracto
extinguerentur. Præterea 4) *omnium plantarum ger-*
minatio in totum quoque periret, & nil quicquam

E 3

crescere

crefcere poffet, fi quidem aër eft ejusmodi penetrans fpiritus, ut fe omnibus rebus immifceat. Hæ allatæ rationes evincunt, in aëre non effe quærendum primum frigidum.

§. 2. *Complurium Philofophorum opinio eft, quod aqua fit primum frigidum vel fons frigoris, ex quo frigus featurit, hinc & aqua definitur, quod fit elementum frigidum & humidum. Aft hi æque feliciter scopum attingunt ac illi, qui aërem primum frigidum dicunt. Primum frigidum eft hoc ipfum, quod exceffive frigidum eft, ut nil frigidius poffit concipi, vel quo nihil frigidius admittit natura. Verum, quam perperam hoc ipfum ftatuatur de aqua, fequentes rationes probant. Quippe 1) apud omnes in confeflo eft, quod aqua fit elementum vel principium, & quo omnia corpora naturalia oriunda funt. Huic autem repugnat hoc ipfum primum fit frigidum, fi quidem elementi formalis ratio in hoc confiftit, ut ad qualitates omnes fic dictas fit indifferens, ita neque exceffive calorem, neque exceffive frigus in fe continet. Si etenim hæc duo, calor fc. & frigus exceffive corpori infunt, habent potius vim extinguendi, occidendi, corrumpendi, quam generandi. Generationis principium erit blandum, quoniam natura ab omni violento abhorret 2) aqua non primum frigidum, alias enim tot animantium pifciumque greges in fe fovere non poffet. Quam innumera bilia autem animantium agmina in aquis exiftant, vivant, ac fibi fimilia generent, eorum numerus ini-
ri*

ri non potest 3) hoc ipsum elementum, quod omnibus animantibus vegetabilibus cedit in nutrimentum ac gratum alimentum & adæquatum cibum & potum, hoc ipsum primum frigidum salutare non debet. Illud ipsum autem est aqua 4) si aqua sit primum frigidum, tunc & principium congelationis in aqua foret situm, sicque recedente sole propter innatum frigus congelasceret. Ast interdum brumis multis aqua non congelascit, sed fluida manet, proinde nec aqua est primum frigidum.

§. 3. Superest, ut dicamus de terra, quæ & multis Auctoribus audit primum frigidum, sed quam etiam hi longè à scopo discedant, & aberrant, sequentes demonstrant rationes. Quippe 1) terra salutatur mater omnium corporum naturalium & quidem mater blandissima, quæ in superficie sua fovet animalia, ex cujus gremio propullulant vegetabilia, in cujus interiori sinu vel matrice nascuntur mineralia, quorum omnium proventus, corporumque nutritio terræ globo debetur, hæc autem omnia ita sunt comparata, ut ex terra accipiant naturæ illorum convenientem & adæquatam indolem, ita, ut quædam sint calida, quædam frigida, quædam humida, quædam sicca. Hæc omnia sunt terræ effectus, minime itaque hos & similes effectus tam distinctos discrepantesque nobis a frigido primo promittere possumus 2) terra est corpus, per quod & per cujus partes diffusus est ignis, & quod in suis medullis subterraneum fovet ignem, quod probat frequentia ignivomorum montium & ignea loca alia, quæ

quæ per terræ corpus sese diffundunt. *Quodsi esset primum frigidum*, montes ignivomi in terra tam frequentes, tamque copiosi non existerent. Sicque & horum Auctorum magnorum sententiæ merito obloquimur ac illam repudiamus.

§. 4. *Sed, cum neque aër, neque aqua, neque terra in se habeant reconditum primum frigus, vel sint fontes frigoris, necesse autem est, nisi velimus cum Cardano statuere, quod frigus sit ens privativum, alicubi ponamus fontem frigoris. Fons frigoris terræ proximus, ut diximus antea, est luna. Fons remotus frigoris est Saturnus, qui Planeta tam frigidus est, ut, si totus oceanus in ipsum præcipitaretur, illico in glaciale duritiem concrederet, non fecus, ac si telluris globus in discum solis præcipitaretur, statim in vitream substantiam transmutaretur, & si Saturnus Planeta tam proximus foret terræ, quam proximè luna est, omnia frigore enecarentur.*

THESIS. XIII.

Thermoscopia vel thermometra fallax præbent indicium de frigoris gradibus, nec temere quicquam de iis est affirmandum.

Exegetis.

Thermoscopia fallunt.

§. 1. *Hominum doctorum curiositas & industria in indagandis naturæ phœnomenis est prorsus inexhausta & insatiabilis, quare quoque studium indefessum suam meretur laudem, ac optandum esset, prioribus seculis elapsis, in quibus tyrannis Aristotelica & philosophia Scholastica hominum mentes occævit*

cæcavit tanto fervore, tantoque ardore naturæ scrutinio incubuissent, quemadmodum elapso & recenti præsertim seculo fit, multò meliorem philosophiam haberemus. Ast, non licuit esse tam beatis Antecessoribus nostris. Industria, qua naturæ mysteria scrutantur eruditi, se etiam extendit ad cognoscendam & præsciendam tempestatum vicissitudinem imminens, eorumque gradus, præprimis caloris & frigoris ascendentes vel descendentes, eoque sine inventa sunt *Thermoscopia* vel *Thermometra*, quorum inventionem cuidam rustico Batavo Drebelio dictæ accepta referunt. Alii Roberto Fluddo à fluctibus tribuunt, verum hanc controversiam nostram non facimus, nobis sufficit, quod inventa sint, & quod ea conficiendi ars indies incrementum sumferit & quotidie adhuc incrementum capiat, ita, ut jam per *artem* 20. genera *thermometrorum* sint recepta, & jam novissime in Acad. Regia scientiarum Gallie 1703. Du. à Mantons, cujus mentio fit in *Actis Eruditorum* 1706. p. 366. quod *thermometrum* valde curiosum est, & spiritu vini impletur.

§. 2, *Verum enim verò*, licet horum magnorum Virorum diligentiam admiremur & veneremur, tamen reapse nullum infallibile dant indicium, sed quam maxime fallax, quod sequentibus probamus rationibus. 1) *vitra illa* vel implentur aqua communi, vel spiritu vini vel aqua forti, vel etiam argento vivo, quæ omnia ita sunt comparata, ut universale commercium, nec extrinsecum nec intrinsecum habeant cum aëre, ut qui mille vicissitudinibus in-

dies

dies obnoxius, totidem autem mutationes hæc non indicant, ut indicare deberent, si aliquid certi de illis polliceri liceret. 2) *docet experientia*, quod radii frigoris non universaliter æquali modo influant. Sic interdum in his ædibus vehementiorem vim frigoris experimur, & quidem aliis proximis minorem, imò experientiæ fide constat, quod duo vitra simili liquore ac sibi invicem proximè adstantia, alterum vehementius frigus, ac aqua in eo valde congelata est, altero mitius frigus, ac aqua non adeo vehementer coagulata est, hinc & variant eodem modo thermoscopia, sicque *Mercurius* aliter sese habet in loco, qui vehementiori frigori obnoxius, aliter ubi blandior frigoris vis animadvertitur. 3) *aliter sese habent* vitra in locis mari proximis, aliter in locis ab aqua remotis. 4) *aliter se habent* vitra in locis orientem, aliter in locis occidentem respicientibus, & ut variant mundi cardines juxta genium & indolem astralium influentiarum, sic & variant vitra. 5) *potest contingere* aliquis singularis influxus *Mercurio adequatus*, quem aliquod fidus, quocum *Mercurius* intrinsecum commercium ac sympathiam habet, sese radii frigoris commisceat, hæc statim *Mercurii* indolem geniumque variat ac transmutat. 6) *quoque non de nihilo est*, quod mille sint variationes situs terræ ac ædium, quædam ædes sunt humiles, quædam altæ, vel in fundo ædificatæ, vel in alto exstructæ, illa locorum variatio quoque in epimetris mutationem fatalem infert. 7) *quoque ad epimetrorum* inconstantiam conferunt pavimenta, quomodo illa sint strata, an lapidibus, vel lignis,

lignis, vel lapidibus coctis, i. e. lateribus vel lapidibus *ex Suecia allatis, Griesen dictis.* Epimetra posita in loco, cujus pavementum Griesen stratum est, semper plus frigoris indicabit, quam si sit in loco, cujus pavementum sit ligneum. Hæ rationes adeò sufficientes sunt, ut epimetrorum fidem in dubium vocare queant. Accedit quoque magnorum virorum auctoritas, quæ fulcrum affert nostro asserto, sæpe enim, ut *Nobiliss. Boyle ait: Experim. Phys. Mechanic. experim. 18.* & alii annotarunt situm suum, *Mercurius* in tubulo multum variat, quamvis nulla in aëre sensibilis sit mutatio. Cui jungimus illa, quæ habet *Wolfferdus Senguerdus* in inquisitionibus experimentalibus, citante volumine *Actorum Eruditorum* 1700. p. 315. & 316. *Mense Julio.* Quibus ephemeridibus præter *thermoscopiorum & barometrorum* usum atque fallaces, quas priora passim ipsi ingesserant, suspiciones de aëris statu & conditione deprehendit summæ aëris *Lugduni Batavorum* pressioni respondere pondus *Mercurii* 20. digitos & 5. lineas elevati, qualem observavit *d. 28. Octobr. Anno 1697.* minimam verò æquivalere cylindro *Mercuriali* 27. digitorum, adjectis 10. lineis, quanta fuit ejusdem subfidentia *vel 30. Sept. Anno 1697. & 4. Febr. An. 1698.* calorem autem & frigus intensissimis sui gradibus conciliare ad summum liquori contento in uno thermometro elevationem 146. partim, in altero thermometro 158. in tertio thermometro 170. in quarto thermometro 130. uti acciderit 31. *Jan. Anno 1698.* subfidentiam verò maximam in thermometro primo 63. in secundo 41. in tertio 63. in quarto 71. partium, qualis

qualis fuerit 14. Maj. Anno 1697. Ut verò Aibmos-
 pberici aëris conditio, ejusque lusus ac vices exquisi-
 tius dignoscantur, non observationum modo aut even-
 tuum, sed & instrumentorum, quæ huic inserviunt
 negotio, & circumstantiarum accuratam rationem
 habendam esse monet, quod fluidorum motus & in-
 dicatio constitutionis aut status cœli plurimum va-
 rient, non solum pro instrumentorum, quæ adhi-
 bentur conditione, sed etiam pro externi aëris af-
 fluxu magis minusve libero, & locorum, quibus *ba-
 rometra* & *thermoscopia* exponuntur, aliarumque
 circumstantiarum diversitate. Eadem enim *ther-
 mometra*, & tubuli barometrici in diversis non solum
 constituta locis alium atque alium quasi aëris sta-
 tum exhibent, verum quoque eodem tempore iis-
 dem in locis eidem exposita cœlo, si longitudine,
 figura vel amplitudine discrepent, inæquali fluido-
 rum elevatione, quasi diversa aëri competeret pres-
 sio, elasticitas, calor, frigus &c. indicant. Hanc ob
 rem ipse describit instrumenta, quibus usus in ephe-
 meridibus conficiendis, & quibus ea locis reposita
 habuerit.

§. 3. *Quodsi nunc partium studio vacui con-
 junctim rationes & magnorum virorum suffragia
 consideremus, tunc fides thermoscopiorum valde fal-
 sitatis arguitur, & infida esse eorum indicia elucet.
 Verum, licet falsitas thermometrorum horum nunc sit
 probata, tamen non negamus, thermometra posse
 construi, quæ indubitata sunt fidei, quippe thermo-
 metrorum existentiam & horum celeberrimum usum,
 si rite*

si rite sint facta, negare non possumus, cum ipsa naturæ œconomia *thermometra* nos doceat, sicque dantur *thermometra* in vegetabilium familia, quæ mutationes in plantarum classe venientes demonstrant. Sic enim *vinum in cellariis turbatur florentibus vineis*, similiter *turbatur cerevisia in cadis florente bordeo*, *pisa difficulter coquuntur florentibus in agro pisis*, sic cum cepæ pelliculæ tenuissimæ sint, non magnum frigus expectandum, at si crassæ, maxima futura est hyems ut à multis rusticis accepit, ait *Borellus cent. III. obs. 79. p. 258.* quædam ligna suo stridore instare tempestatem præfagiunt, & id genus sunt exempla, eodem modo in animalium familia dantur animalia, quæ faciem suam ad certam partem coeli convertunt, sicque datur in *Ægypto piscis*, qui *physa* seu *orbis* dicitur, & semper faciem ad eam partem coeli, dum vivit, dirigit, de qua ventus spirat. Dicitur eandem retinere proprietatem exsiccatus & in domo suspensus. Cui jungimus: idem tribuitur *hydrundini marine*, quæ non solum viva, sed & jam ficcata & in cubiculo, licet clauso suspensa constantissima semper adflantem pro tempore ventum vel regionem, unde ventus imminet, rostrum suum convertit. Sic & in *Helvetia* existere lacum, qui *murmure imminentem tempestatem vaticinari dicitur*. Sicque aliquod stagnum sue aquæ copia annonæ caritatem indicare in nostra *Holsatia* existere dicitur. Et quid multis? tota naturæ œconomia est vates futurorum videtis *Edomis Neuhusi Fatidic. 1.* eodem modo in mineralium familia lapis *magnes* septentrionem

semper respicit ostenditq̄ quasi naturæ indice. Hæc & similia phœnomena nostro arbitratu omnium primo docuerunt artifices exstructiones thermoscopiorum, quare illa in totum non rejicimus, sed emendata & correcta volumus, ut non tam fallacia dent indicia, sed magis certa & curiosa, quare suademus, ut loco *spiritus vini*, loco *aquæ fortis*, loco *argenti vivi sumatur liquor ex minera metalli alicujus desumptus*, debito modo distilletur, ac in tubum vel fistulam infundatur. Quomodo autem iste liquor distillandus sit, ex cujusnam metalli minera, scrutentur illi naturæ *Aristarchi*, qui sibi persuadent, se habere naturæ vires ita exploratas, ut natura nihil in se contineat tam arcanum, cujus causam se reddere non posse arbitrentur. Ast, quam coeci sint instar talparum in naturæ arcanis cognoscendis, horumque causis eruendis, satis superque constat. *Etiã liquor ex humana urina* elici potest, qui æque infallibilis sit indicii in caloris & frigoris gradibus definiendis, quippe, quod humanum corpus in quibusdam hominibus vivum calendarium sit, satis patet. Sic clavi in pedibus, quædam vulnera non bene sanata, capitis aliarumque partium futuram tempestatem turbulentam vel flatulentam indicant & præfagiunt. Imo & homines sunt, qui, si semel petechiis vel peste laborarint, si veniant in locum, ubi quis peste infectus vel petechiis inquinatus jaceat, statim in suo corpore istius morbi præsentiam & tyrannidis istius morbonæ vim experiuntur. Quid itaque de urina polliceri possumus, ut quæ est ex toto corpore diffluens omnium

omnium viscerum tinctura saturata ac imbuta. Spiritus ex rore majali methodo nostra factus præbet indicium tempestatum infallibile. Ejusdem roris sal idem præstat, ut quoq; *phosphorus in liquorem conversus via sicca meteororum vates* ex sale urinæ. Ut itaque thermometris sua constet auctoritas, hæc addimus, sc. si sint recte instituta vel adæquato liquore impleta.

THESIS. XIV.

In media aestate aque frigidus aer, ac in gelidissima hyeme fieri potest.

Exegetis.

§. 1. *Hanc thesin poneremus, occasionem dedit Perillustris Societas Tholosana. Hæc quippe A. 1699. in forma questionis proposuit, hujusque questionis solutionem ab Europæis Philosophis petiit, constituitque præmium, qui hoc problema solveret, tumque temporis quoque hoc problema solvimus, nostra quoque solutio legitur in novis Literariis maris Baltici A. 1699. Mense Decembre p. 376. 377. 378. & 379. quæ illic legi potest. Rursum idem vadum tentabimus, & licet priori solutioni non mittamus repudium, alia tamen via hunc nodum nunc solveamus: 1) ille frigidus aer, qui tempore æstivo apparet, non universaliter afficit aërem, neque omnibus animadvertitur locis, sed modo in hoc, modo in isto loco sentitur, ita fieri potest, ut vel vapores frigidi ex terra evaporent & aërem frigore inficiant, vel 2) etiam fieri potest, ut ventus aliquando frigidus in hunc specialem locum sæviat, qui in aliis locis*

non

non spirat, *vel* 3) *feri potest*, quod ab aliis locis ad istum locum specialiter congregentur nitrosæ particulae, quæ aërem isthic tam frigidum faciunt. Omne enim frigus præsupponit nitrosas particulas, *nam sine nitro nullum est frigus*. *Vel* & 4) *possunt à circumstante aëre calido constringi & concentrari radii lunares, & hi concentrati aerem faciunt algidissimum, quippe* 5) *quemadmodum in diebus canicularibus spirant interdum etheisæ, quæ advehunt auram frigidam, sicque etiam potest spirare, uti & antea diximus, aliquis ventus aquilonaris, qui aerem frigidum efficit,* 6) *potest quoque contingere, ut pars aëris frigidi ex media regione aëris, quæ omnium frigidissima à radiis sursum præcipitetur, & sic aërem faciat frigidissimum in media æstate.* 7) *potest quoque nubes aliqua, ut, quæ constat floccis glacialibus, magis deorsum declinare & suas exhalationes dimittere.* Hinc quoque aer frigefieri potest magis solito, quam cæteroquin temporis ratio permittit. *Hæc septem rationes vel causas addimus nostræ solutioni in novis Literariis allatæ.* Addimus experimentum cujusdam magni Viri, qui observavit, glaciem citius in vacuo, quam aere solvi. *Hinc patet, particulas ætheris subtilissimas penetrantissimasq; aëris particulis heterogeneis extractis inesse, minimeque ita vere vacuum datur.* *Vel etiam fieri potest, quod, cum natura adeo abhorreat a vacuo nam nil magis naturæ contrarium & inimicum, quam vacuum, cum itaque nunc (posito non concessio) vacuū sit factū sicq; hiatus sic vulnus, vel continuitatis solutio in*
naturæ

naturæ oeconomia, natura autem redintegrationi studet, hinc etiam aer inclusus poris glaciei vi erumpit, nexum glaciei solvit, ut absentiam aeris, si absit, restitueret, ac vacuum rursus impleatur, estque palingenesis naturæ conatus, vide §. IX. hujus dissertationis. Sic hæc quasi in parenthesi inseruimus. Interim laudamus conatum hujus Perillustris Societatis, quod ad solutionem tam curiosi problematis ab Europæis Philosophis petere voluerit, demiramur autem, qui fiat, ad exterarum Gentes hoc problema solvendum ablegaverit, cum ipsa *Gallia sit paradisus acutissimorum subtilissimorumque philosophorum*, ita, ut Gallia merito hoc jure sit deprædicanda, quod in omni scientiarum genere & omnis polymathicæ studio polyhistorum, antiquitatum & rerum naturalium scrutatores indefessos & assiduos alat, & præprimis hic laudanda est *Christianissimi Regis Ludovici XIV. munificentia* Regia, ut qui magnus Rex in miraculum & stuporem totius mundi tam in pacis, quam belli negotiis ad literas promovendas à DEO datus, quique in medio suæ Residentiæ loco, Lutetiæ sc. Parisiorum societatem aliquam erexit ac instituit, in qua liberali munerum largitione magnos viros, qui in *Anatomicis, Botanicis, Chymicis, Mathematicis*, idque genus eruditionis ornamentis & fundamentis sese exercent, ac omnino laudanda suæ industriæ specimina erudito orbi communicarunt, quæ *Acta Lipsiensia* aliquoties recensuerunt, alit. Hujus magni Reges plurimum gentium Monarchæ sequerentur, optandum esset, sicque tandem fieret, veritas solidaque

G

daque



daque eruditio & perfecta rerum naturalium cognitio pulcherrimo veritatis diademate coronata apparet, novumque paladium omnigenæ eruditionis in Europa nostra erigeretur.

THESIS. XV.

Glacies quolibet anni tempore etiam per artem fieri potest, imo & in ipsis diebus canicularibus vel sole in ipso Leone existente.

Exegesis.

Glacies artificialis.


§. 1. Quod ars imitetur naturam, hujusque æmula sit, mille probant experimenta, hincque *naturæ & artis connubium multi eruditi viri meditati sunt, ast nondum ad finem perducere potuerunt suum.* Quæri autem solet, an arti vel naturæ prærogativa debeat? Resp. distinguenda sunt opera, in quibusdam artificiis *ars* naturam superat, & nisi ars in subsidium veniret naturæ in quibusdam operibus, natura in multis tam elegans non compareret, ita, ut in quibusdam operibus ars fungatur officio obstetricis in admirandis producendis affectibus, in quibus producendis naturæ deficiunt vires. Veruntamen in plurimis effectibus & in suppeditanda materia apta, in qua laborat ars, & qua ars opus habet, naturæ artem multis parasangis præcedit & vincit, ita, ut rectè dicatur: *ars naturæ cedat, ars naturæ palmam porrigat.* Interim glaciem per artem fieri posse, quolibet anni tempore, evidens est.

§. 2.



§. 2. *Artificium glaciem* producendi, multi sunt, qui callent, ejusque artificii specimina laude digna dederunt, in quo artificio recentendo vel docendo simus solliciti, minimè opus, sufficiat evoluisse, quod legitur in *Actis philosoph. Societatis Britannicæ Anno 1666. die Lune 18. Jul. pag. 195. usque ad pag. 202.* Qui plura cupit, evolvat *Excell. Hamberger c. 1. ph. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. pag. 201. 202.* Et satis informationis dat prælaudatus Auctor. In quo itaque magnetismum frigoris statuere conveniat, scilicet in sale *ammoniaco & nitro* satis claret, quippe hæc duo mineralia præprimis sal *ammoniacum* intensissimum frigus in se foveat, evidens est. Fovet autem sal armoniacum in se frigus, non quod hoc ipsum urinosum est, sed quo est sal nitrosæ profapiæ, sicque *nitrum est vehiculum subluare*, quod radios lunares & saturninum influxum imbibit, ac eo imbuitur, & illam vim cum aqua communicat, quæ & hinc congelascit, ut superius diximus. Itaque etiam subsistimus, & filum hujus disputationis abrumpimus, *anchora in portu demissa.*

SOLI DEO GLORIA.



G 2

COROL-

COROLLARIA MISCELLANEA.

I.

- M**Edi & Persæ tam mordicus ac immoti suis à se latis L. inhærentes prudentiæ vel suo statui civili bene vel malè consuluerint, quaeritur? nobis quodlibet placet.
- II. Legis naturæ definitio suo definito *absolute* adæquata non sine formidine oppositi, sed saltem *secundum quid* dari potest.
 - III. Philosophiæ moralis principia cognoscendi meliora, certioraque dari non possunt, quam quaerunt ex Bibliorum Codice.
 - IV. Philosophia naturalis sine exercitio & cognitione chimæ cum fructu à Medico addisci non potest.
 - V. Philosophia naturalis Aristotelicorum est mera & inanis altercatio, hinc eliminanda.
 - VI. Juris publici anima historia est.
 - VII. Possunt esse graves causæ quæ movent, quo minus quis, *licet prudens sit, & prudenter consulere queat*, suam prudentiam merito dissimulet.
 - VIII. Ratio status exigere potest, ut quis illud *Terentii* eligat: *ajunt, ajo, negant, nego*.
 - IX. LL. naturæ non admittunt dispensationem humanam.
 - X. Fures supplicio patibuli vel mortis affici, nimis durum.
 - XI. Superstitio Reipublicæ non minus, si non magis exitiosa, quam purus putus si detur, vel dari potest, atheismus.
 - XII. Anima hominis non per *traducem*, sed per *creationem* oritur.

- XIII. Tanta ad rem conservandam, quam ad creandam requiritur virtus.
- XIV. Candidatus Ministerii conscientiae vi magis obligatus est suscipere vocationem ad Ecclesiam, ubi plus prodesse potest, licet mediocres sint redditus, quam suscipere vocationem ad Ecclesiam, ubi minus prodesse potest, licet pinguius sint redditus.
- XV. Simoniam accipiendo exercens *Ecclesiae, Reipublicae omnibusque piis scandalum praebet, est Ecclesiae vitricus, avaritiae gurgis, diaboli mancipium*, panditque januam ad studiorum negligentiam, inque vitiorum labyrinthum Studiofam juventutem praecipitat, iustoque in Ecclesia instituendo elencho impedimentum dat. Loquimur de pontificia Simonia.
- XVI. Simonia tanto peior est crimine ambitus, quanto major est Status Ecclesiasticus statu civili, utrique autem statui pestis est.
- XVII. Chemia per viam siccam perfectior est chemia per viam humidam.
- XVIII. Chemia per viam siccam, si vitare potest vitrificationem, nunquam non suum attinget scopum.
- XIX. Pestis, etiamsi ex meris causis physicis oriatur, est *DEI flagellum*, & simul *misericordiae DEI osculum*.
- XX. Pestis tutius annuente DEO per *prudens corporis ac animi passionum regimen*, quam per medicamenta praecaveri potest.
- XXI. Terror est propagator pestis.
- XXII. In nullis morbis tam magna miracula ac tam

- tam frequentia DEI misericordiæ specimina animadvertuntur, quam in peste.
- XXIII. DEI simplicitas est ejus individua unitas.
- XXIV. Spinosa pejor est Cæsare Vaninio, falso Atheorum Aquila dicto.
- XXV. Spinofismus & Machiavellismus ex similibus principiis profluunt.
- XXVI. Spinofismus, Machiavellismus, Naturalismus sunt tres pestes, Ecclesiam & Rempubli-
cam evertentes.
- XXVII. Nimrod primus Auctor est Machiavellismi.
- XXVIII. Moralistæ, qui suam moralem philosophiam duntaxat fundant in Spinosæ principiis, sunt SS. contemptores ac imprudentes Naturalistæ.
- XXIX. Nobilis dignitas per dignitatem hõnoris Doctoralis non deterior, sed melior ac illustrior fit.
- XXX. Dignitas per literas acquisita illustrior & perennior est per Martem acquisita.
- XXXI. Nullum tempus adhuc fuit, cui accommodari potest prophetia Ezechielis XXXIX. ergo adhuc futurum est.
- XXXII. Avaritia deterior est prodigalitate.
- XXXIII. Verus Theologus Zelo Lutheri & mansuetudine Philippi Melanchtonis erit instructus.
- XXXIV. Aurum potabile medicinæ universalis, si non fluant ex officina chemiæ adeptæ, sunt merræ imposturæ, & impostores quæstus ergo sic vocant venduntque.
- XXXV. Polygamiam jus naturæ, qua est fons & principium justitiae & honesti, non aliter, ac sub beneficio dispensationis ac conniventiae DEI admit-

admittit, teapse autem averfatur illam tanquam
quid ejus fânctioni intimè contrarium, ac veri
conjugum naturam deftruens.


- XXXVI. Polygamia ad conjungium verum com-
parata æque convenit atque ftatusReipublicæ ir-
regularis cum ftatu Republicæ regulari collatus.
- XXXVII. Aliquid humani patiuntur, qui ftatuunt,
quod polygamia non fit contra jus naturæ.
- XXXVIII. Protoplastis, etiã in ftatu innocentie
permaniffent, nihilominus doctrina deSS. Trini-
tate myfterium, non autem ita, ut nobis ab-
fconditum fuiffet.
- XXXIX. Logica & Metaphyfica differunt, ut prolego-
mena & tractatio ipfa, & junctim, non disjun-
ctim faciunt artem rationis.
- XL. Socinianus magis eft Anti-Christus, quam Pa-
pa Romanus.
- XLI. Advocatus in caufis perorandis in omnibus e-
rit fimilis Medico curanti morbum.
- XLII. Advocato ante caufæ fufceptionem fe-
cum, cum Peritis librisque fuis effe deliberan-
dum, cum Patre practicæ Speculatore, Epifco-
po Minatenfi ftatuimus.
- XLIII. Adeo honorabile Advocatorum eft officium,
ut plerumque ex eorum numero Cancellarii
Confiliarii Principum, Syndici &c. affumantur
& legantur, uti experientia, præfertim hoc feculo
in Hofatia nofta id fatis nos hætenus edocuit.
- XLIV, Advocatus ad duellum provocatus fine digni-
tatis fuæ & exiftimationis læfione non comparet.

- XLV. Nihil tam firmum est, cui periculum non fit etiam ab invalido, & parva scintilla contempta magnum sæpe excitavit incendium.
- XLVI. Injurians generosius ut canis latrans, rana coaxans, asinusque calcitrans contemnitur, quam injuria ipsa recipitur ac vindicatur.
- XLVII. Injuriati fama & existimatio non nisi apud illos, quibus judicii sani parum, stupiditatis autem multum est, læditur.
- XLVIII. Quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quam regulam si observarent quidam homines, non tot haberemus inimicitias.
- XLIX. Præstat uni probo, quam mille improbis placere.
- L. Audaces fortuna juvat.
Hæc sufficiant.

QUÆDAM ERRATA EXSTANTIORA.

Pag. 2. §. 2. linea 5. Lege *fluidiora* p. 4. Lege *animadvertentur*. p. 7. §. 1. lin. 13. Lege *Refrigerantem* p. 11. §. 1. lin. ult. adde *generis* pag. 17. lin. 25. Lege *adducit*, p. 19. lin. 13. Lege *irrefutabile* p. 20. §. 4. lin. 2. Lege *evincit*. lin. 4. Lege *sit*. p. 22. lin. 3. Lege *posset*, lin. 14. Lege *folia*. p. 26. §. 9. lin. 7. Lege *solidam* p. 29. lin. 1. Lege *debeatur*. p. 32. lin. 1. Lege *palingenesia*. lin. 12. Lege *interfluente* p. 33. lin. 1. Lege *palingenesia* p. 34. §. 1. lin. 2. Lege *maximè* lin. 23. adde *beneficio*. p. 34.





01 A 6646

ULB Halle


3


003 090 442



VJ 17

ReHo ✓





79

ASPIRANTE NUMINE
EXERCITATIO PHÏSICA
FRIDERICIANA
SÆVITIAM SATURNI
elapsæ hyemis sistens,
i. e. DE
FRIGORE,

QUAM
SUB PRÆSIDIO
JOH. LUDOVICI HANNEMANN,
Med. Doct. & Philos. Nat. Profess. Ordin.
Leopold. Societatis Collegæ, Nestoris II.

d. IX. Novembris 1800.

in Auditorio majori
publice defendet

JOHANNES MICHAEL ECCARDUS,
Svinfurto-Francus, J. U. Stud. atque Pract.
&
Not. Cæs. Publ.

K I L I Æ,
Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.